Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MED.
12824

250 1.2.a

Digitized by Google

11-2-C
N. 32

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Cat. 13 Fab. 89 no. 178.

Digitized by Google

618.4

TH. BARTHOLINI

B22t

DE

INSOLITIS
Partus Humani
VIIS
Diſſertatio Nova.

Accedunt Cl. V.

JOHANNIS VESLINGI

Equitis

De Pullitie Ægyptiorum

& aliæ ejusdem

Obſervationes Anatomicæ
&
Epiſtolæ Medicæ

poſthumæ.

HAGÆ COMITUM,
Apud PETRUM GOSSE, Bibliopolam.
M. DCC. XL.

Digitized by Google

Digitized by Google

TH. BARTHOLINI DE INSOLITIS PARTUS HUMANI VIIS Diſſertatio Nova.

CAPUT I.

Hiſtoria Partus mirabilis, & Diſſertationis occaſio.

NUsquam magis quam in humana generatione variat Natura, & in conſtanti puerperii actione inconſtantiam ſuam monſtrat conſtantiſſimè: Vel enim partus tempus prolongatur & ſpatio in-

Digitized by Google

certo definitur, vel numeroſi fœtus eduntur, vel monſtroſi tam corpore quam animo, & ſupplicationibus expiandi. Singulorum his annis exempla memini, quæ non vacat hic referre, extantque ſimilia multa in monumentis Medicorum, quibus talia conſectari curæ fuit. Quanquam verò in via Naturæ, qua perfecti fœtus excluduntur, conſtantiam aliquam & perpetuitatem ſervare videatur, aberrat tamen nonnunquam & hic à trita via; novamque eligit nullo vitæ miraculo majore, quaſi longa parturiendi aſſuetudine defatigatam faſtidiat &, antiquarum tædio, novas ſemitas quærat. Huic materiæ, quam meditor perſequi, admiratio non deerit apud illos, qui Naturæ potentiam ex ſuâ inopiâ æſtimant, nec pompa rationum & ſermonis, ſi quicquam aliud intueri liberet, quam fidem operis. Ne diutius Lectoris curioſitatem remorari videar, occaſionem ſequuturæ Diſſertationis captabo ex puerperæ cujusdam noſtratis fato prorſus mirando, ut ingenti aliquo exemplo ſuſceptum argumentum illuſtretur.

Annus agebatur ſeculi currentis tertius & quadrageſimus, quum in Inſula Lalandia, Sereniſſimo Regi Danorum ſubjecta, mulier

mulier quædam, cui nomen Ingera, trium ante liberorum mater, ad ſecunda vota tranſitura nuberet Erasmo Jani in Egholm. Eodem anno imprægnata gemellos geſtare ſe credebat. Inſtante conſueto partus tempore, accita fuit obſtetrix, exorti ex utero dolores, & omnia ad puerperium comparata. Sed fruſtraneus fuit conatus, quia nihil eniti potuit. Perſtiterunt dolores conatusque parturientis per duos dies, quibus exactis evanuerunt, nec integris hebdomadibus ſex ullum de ſe indicium gemelli dabant. Poſtea tamen moveri iterum cœperunt, vivosque deinceps apud ſe quinque annorum ſpatio obſervavit. Exinde ſenſim eos inter ſe collidi ſentiit, & velut quum panis pinſitur, comprimi & conſtringi, moxque imminui & emori. Qamprimum ſuis indiciis gemellos expiraſſe conſtitit, intumuit umbilicus, menſuram candelabri, qua ampliſſimum, adæquans, ad digiti longitudinem protenſus, & nigricans. Ita distentus umbilicus per medium fuit ruptus, quaſi acuto cultello diſſectus; primisque diebus binis puram aquam effudit, deinde ſanguinem & pus, quos liquores ſtatim inſequuta ſunt nonnulla oſſicula puerilia. Patebat hic umbilici hiatus ad annos octo,

ex quo frequenter interea oſſicula prodire viſa. Vix eo ſua ſponte conſolidato, aliud apoſtema apertum fuit infra umbilicum, unde oſſicula quinque vel ſex conſuetis majora emanarunt. Anno ſequenti, etiam hoc ulcus ex ſe ſanatum. Poſthæc ex iliis ſiniſtris ruptis nihil effluere obſervatum, ſed ulcus ad duorum digitorum transverſorum diſtantiam, ſub priori apoſtemate, infra umbilicum ſerpit anno 1661, ex quo grandiora oſſicula ſpatio trium dierum circa Martini feſtum quamplurima egreſſa, 10. Martii 1662. oſſiculum prodiit ex occipite fœtus. Interea quanquam miſella magnis cruciatibus fuerit ſubjecta, lecto tamen ſe affigi paſſa non eſt, ſed negotiorum domeſticorum cauſa huc illucque obambulavit, Deum timuit, ejus cœtus in templo frequentavit, & artem obſtetricandi exercuit. Proximè tamen dicto feſto Martini, quum majora oſſicula excerneret, dolores intolerabiles, peneque lethales paſſa eſt, ut mortis candidata ab adſtantibus crederetur, ſeque ad mortem, evocato Presbytero & ſalutari viatico refecta, componeret. Jam verò rectè valet, & convaluit, omnesque ventris rupturæ coaluerunt, nec ulla exinde tormina ſenſiit. Hoc tantum narrat, ſe ſupino cor-

poris

poris ſitu, digitis explorare poſſe ſub ultimâ illâ ventris rupturâ cavitatem quandam rotundam & vacuam, cutemque eo loci concidere, ſine tamen ullo doloris ſenſu. Hæc ex ſancta ipſius puerperæ relatione ſcribo, cui adfuit Vir pietate & eruditione ſpectatus, Dn. *Richardus Johannæus* Paſtor Herritzlevianus in Lalandia, qui, ægram conſolatus, accuratè vidit & inſpexit patentia ulcera in ægro corpore, unde oſſicula rejecta, mihique amicis literis non ſolum ſingula perſcripſit, ſed thecam oſſiculis excretis plenam miſit.

Ipſa oſſicula perfecti fœtus humani ſunt rudimenta, ſolida, tam multa ut pro gemellis ſufficiant, nonihil nigricantia, ut gravi odore putridoque nares offendant, & libero aëri exponi à me debuerint.

Rapuit narrata inuſitatæ puerperæ ſeries notos ignotosqne in admirationem, & oppidum rerum novarum expectatione ſuſpenſum reddidit. Mihi ſuper ea re diverſus fuit animi motus. Temporum præteritorum recordatione mentem compoſui, ut nihil minus quam miraculum cogitarem ſimilibus alibi puerperiis prælucentibus. Alio à vulgi genio animatus, nihil pro incredibilibus didici habere, quod

vel aliorum exemplis ſe tuetur, vel probabili ratione aliqua fidem apud eruditos Naturæ interpretes invenit. Huic operæ igitur immoremur, partus inſolitas vias, mulierculæ hujus occaſione, exemplis & rationibus Anatomicis expoſituri quam breviſſimè, memores *Macrobii* ſententiæ l. 2. ſomn. Scip. c. 4: In re naturaliter obſcura, qui in exponendo plura, quam neceſſe eſt, ſuperfundit, addit tenebras, non adimit denſitatem. Animo noſtro ſemper & pennæ inſedit *Plinii* effatum l. 28. c. 1: Fides tantum autores appellet. Quanquam & ipſi conſenſu prope judicata eligere laborauimus, potiusque curæ rerum, quam copiæ inſtitimus.

CAPUT II.

Legitimum & ſtatum partus terminum, nec in hac muliere, nec in aliis unquam variare.

IN primis mora illa diuturna in utero ab anno 1643. ad annum 1661. plurimos offendit, neſcios cæteris animantibus ſtatum & pariendi & partus gerendi

tempus

tempus eſſe, hominem toto anno & incerto gigni ſpatio, monente *Plinio* lib. VII. c. 5. poſt *Ariſtotelem* lib. VII. de Hiſt. Animal. c. 4. alium ſeptimo menſe, alium octavo, & usque ad initia decimi undecimique. Habent tamen & hæc tempora ſuam latitudinem, quod de cæteris animantibus probat *Paulus Zacchias* lib. I. Quæſt. Med. leg. tit. 2. q. 1. n. 105. In humano genere res videtur magis confeſſa. Ad duodecimum enim, tertium, quartum ſupra decimum menſem alii progreſſi, de quibus juſta diligentia egit *Caranza* Cap. XV. de Part. Nat. & *Henn. Arniſæus* noſter in Diſqu. de Part. Hum. legit. term. Alii ad annos computum extenderunt. *Jacobus Fontanus* part. 1. Art. Med. l. 5. Phyſiol. c. 16. ex relatione Medicorum Monſpelienſium refert, nonnullas ibidem fœminas legitimos peperiſſe natos duodecimeſtres, ſexdecimeſtres, vigeſimeſtres, & vigeſiquatrimeſtres. Quarto anno puerperium editum, creditur *Matthiæ Cornaci*. Poſt annos XII. mortuum fœtum fruſtillatim excluſit fœmina mediocris ſortis apud *Zacutum* lib. 2. Prax. Adm. obſ. 157. Annis tredecim fœtum mortuum in utero geſtatum *Ægidius Hertoghius* fidem fecit. Muſſipontanus fœtus,

Joh. Dan. Horſtii & *Laur. Srauſſii* diligentia notus, ſex luſtra & amplius clauſtra ſua pertuliſſe dicitur. Poſt annos ſexdecim Dolanus infans, *Cl. Arn. Senguerdii* commentario docto illuſtratus, in ventre matris repertus. Lithopædion Senonenſe, quod in Auguſto Muſæo Auguſtiſſimi Regis FRIDERICI III. Domini noſtri clementiſſimi aſſervatur, annos XXVIII in utero materno hæſit. Lauzu Philoſophus quidam Chinenſis octuaginta annis in alvo matris geſtatus narratur à *Nic. Trigautio* lib. 1. de Chriſt. Exp. apud Sin. c. 10. Omnibus fidem adhibere vix poſſum. Pleraque tamen fide authorum credimus, de quibus quid mihi in mentem veniat, verbo ſignificabo. Quanquam varient ſubinde tempora partus, ſecundum variam fœtus & puerperæ conditionem; tamen nec in hac noſtra fœmina, nec aliis exemplis, quæ diuturnis graviditatibus annumerantur, legitimus parturiendi terminus prolongatus ullo jure dicendus. Nam ad naturæ mentem, imprægnatio deſinit extincto fœtu, & extinctus in utero fœtus, partus eſſe deſinit. Partus antequam edatur, mulieris portio eſt, vel viſcerum, *ff. de Ventre Inſpic.* At cum extinctus eſt in utero, res

res aliena eſt in matre. Unde qui mortui naſcuntur, neque nati neque procreati videntur, *ff. de Verb. Signif.* §. 129. Ut eapropter in tali caſu verum ſit, quod *Hippocrates* ait lib. 1. de M. Mul. abortire mulierem, quanquam puer non excludatur: nempe quando mortuos hujusmodi fœtus, abortivos jam, geſtat, de quo effato Hippocratico videndus *Andr. Laurentius* lib. VIII. Anat. quæſt. 29. Omnes verò ſupra recenſiti fœtus maturi ad exitum ſe conſveto partus tempore accinxerunt. At quia cauſa aliqua interceſſit, quæ impediit quo minus juſta fieret parturitio, evenit illis quod fructibus in arbore maturis, qui, ſi non decerpantur negligentiâ hortulani, vel putreſcunt & exſiccantur in arbore relicti, vel decidunt & contunduntur. Ita & hi fœtus ſani & vivi accuratum puerperii momentum obſervarunt, quo denegato, fœtus vivi eſſe deſierunt, cadaveribus adſcribendi, quibus nec imprægnatio ulla, nec nativitas rectè aſſignatur. Partus tamen nomen apud Authores noſtros retinuerunt, neſcio quo ſuo merito. Partus enim duo notat, I. fœtum ipſum necdum editum, excluſioni tamen paratum ſeu vivum ſeu mortuum, qua ſignificatione ubique toto libro *Cen-*

ſorinus De Die Natal. cepit. *Celſo* præcipuè mortuum fœtum deſignat lib. 2. c. 8. & l. 7. c. 29. uti & *Plinio Valeriano* Medico lib. 4. c. 19. 29. Hoc ſignificatu nobis in præſenti Diſſertatione partus venit. II. Ipſum puerperium, ſeu pariendi actum, apud eundem *Celſum* l. 2. c. 1. *Scribonium* Comp. 89. 126. *Plinium Valerianum* l. 3. De Re Med. c. 52. Ut alios taceam, eodem flexu cepit *Qu. Seren. Sammonicus* in Med. c. de Concept & Part.

Ut facili vigeat ſervata puerpera partu.
P. P.
Sentiat ut minimè partus quam proximus urget.

Quo loco partum de fœtu ipſo interpretatur nuperus Sereni Commentator Doctiſſimns *Rob. Keuchenius* in Not. neſcio quam verè, quum in primo verſu fœtus præceſſerit, poſtea ſequatur partus, qui partus eleganter *partitudo* vocatur *Plauto* Aulular. A. 1. Sc. 1. v. 37.

Ultra decimum menſem cur ejusmodi partus ſeu puerperia differri poſſint, cauſam aliqui & apud gravidæ uterum & fœtum quærunt. In utero quidem ſi vel ille

capacior

capacior ſit, vel nutrimento abundet: In fœtu verò, ſi vel frigidior ſit vel in calcitrando ſegnior. Nutrimenti inopia rariſſimè acceleratur partus, quanquam id *Hippocrates* voluerit l. de Nat. Puer. quia continuò per occultas chyli vias affluit, & rarò colliquamentum, in quo fœtus natat, & quo alitur, in utero deficit. Prævi- derunt hoc ingenioſi, ut nullo alimenti defectu, ſed excrementorum copia urgeantur puerperia. At fœtus quamvis frigidior, tot annorum maturitatem non expectat, præſertim quum gemelli noſtri, reliquique ab aliis annotati, exitum vegeto robore opportunè urſerint, quo fruſtrati contabuerunt. Dicitur quidem in hiſtoria noſtra, gemellorum motum ultra annos quinque ab Ingera perceptum; ſed vix inducor ut credam, motum illum verum fuiſſe embryonum vivorum, non quod melancholiæ ſeu pravæ Ingeræ imaginationi hic aliquid tribuam, ſicut illa apud *Riverium* Cent. 2. Obſ. 100. quæ à 22. annis ſe gravidam ex motu quodam imaginario credebat; vel altera Belliquadrenſis, quæ menſem vigeſimum tertium geſtare utero dicebatur, non omninò ſana mente, judicio *Saportæ* aliorumque Monſpelienſium, approbante *Gaſſendo* l. 1. de

Vita

Vita Peireskii: Deceptam potius puerperam noſtram ſuſpicor flatuum ſimilitudine, quod alibi etiam divinavit *Ariſtoteles* l. VII. Hiſt. Anim. c. 4. qui flatus ſenſim in partium carnoſarum reſolutione oborti motum gemellorum mentiebantur. Hac ſimilitudine juvenculas non paucas deceptas memini, flatus pro fœtibus geſtantes. Superat fidem meam, tamdiu ſupra terminum à Natura præſcriptum, in utero ſuperſtites eſſe cum vita embryones. Raras equidem hiſtorias amplector, ſed quibus probabilis aliqua ratio favet, eaque naturalis. Quanquam enim, judice *Hippocrate* l. de Sept. Part. mulieribus de partu fides habenda ſit, nam & omnia narrant, ſemperque dicunt, & ſemper proferunt; tamen hoc paſſu, quia de vita clauſi adhuc materno carcere fœtus loquimur, dubia apud me eſt Ingeræ experientia, quæ, forſan magnis ex putredine doloribus impedita, ſatis accuratè hæc diſcernere non valuit. Suſpicionem meam auget, quod ſex menſium mora interceſſerit inter fruſtratum naturalis partus tempus & redeuntem motum. Tantam pauſam vita non facit, nec ab indiciis vitæ interea ceſſare potuit fœtus, præſertim in illa matre, quæ motum antea ſenſerat, nam

nam alioqui notæ mihi in urbe noſtra gravidæ, quæ, ante imminentem partum, nullum embryonis motum obſervarunt, adeoque ſe uterum gerere ignorarunt prius, quam utero exortis doloribus Lucinæ opem implorarent: neque interea mortui gemelli ad vitam motumque poſtliminiò redire potuerunt. Quanquam multa cottidie monſtra naſcantur, plurimique inſoliti eventus contingant, necdum tamen ſeculo noſtro à mortuis redeundi contigit ulli mortalium poteſtas. Verè mortuos dico, & ſex menſes defunctos, quia deficiunt nobis herbæ Ponticæ, quibus olim *Maro* vidit

— *Sæpe animas imis exire ſepulchris.*

Nec poſt nativitatem vel ejus præfinitum tempus, ad uterum ſeu ad vitam in utero datur ulli regreſſus. Quod ex ingenio aſſequebatur Nicodemus *Joh. III.* 4. numquid poteſt in ventrem matris ſuæ ſecundò introire, & renaſci? Quanquam inter exempla ſit *Plinio* lib. VII. c. 3. in uterum pronus reverſus infans Sagunti, quo anno ab Annibale deleta eſt. Vera, an ficta, non liquet. Ex utero proſpexit tantum infans ille, ſalvis involucris & vinculis, nec natus dici potuit. Credo igitur

Digitized by Google

tur quinque annorum motnm in gemellis vitamque putaticiam, fuiſſe ebullitionem quandam pravorum humorum in utero, à putredine partium carnoſarum tamdiu obſervatam, donec, carne omni abſumpta, nuda oſſa relinquerentur, nec aliam hic protracti partus eſſe rationem, quam ego ex ordinario termino malim computare, quam longam graviditatem inducere. *Hippocratis* ſimile ferè eſt judicium L. de Nat. Pueri: Si quæ, inquit, ultra decem menſes utero geſtare ſibi viſæ ſunt, quod jam ſæpe audivi, eæ hoc modo fallunt. Cum uteri à ventre flatum ſuppeditante ſpiritu diſtenduntur & intumeſcunt, tum mulieres ſe concepiſſe exiſtimant.

CAPUT III.

Cur gemelli legitimo partus tempore via conſueta editi in lucem non ſint?

QUæritur jam à Naturæ curioſis, cur gemelli hi definito menſe decimo ex prægnantis utero via ſolita non prodierint, ſiquidem parturientium dolores matrem invaſerunt, & fœtus maturos indicarunt.

Digitized by Google

runt. Varia impedimenta occurrunt, quæ prohibuerunt naturalem exitum, breviter recenſenda:

I. Membranarum involventium denſitas, quæ neque à fœtuum calcitratione, neque pondere, neque ſtagnantium lochiorum copia, neque puerperæ niſu potuere rumpi. Remoratur non rarò felicem partus progreſſum nativa tunicæ choroides craſſities, & nonnunquam prorſus impedit velut objecto vallo, quod, niſi vi externa accedente, amoveri non poteſt, de qua dicendi in progreſſu dabitur commoditas. Defuit igitur prægnanti noſtræ hæc laxitas membranarum, & provida ſeu obſtetricis ſeu adſtantium cura, unde auxilii defectu fœtus in utero remanſerunt. Et quanquam primus fœtus perrupiſſet, alter tamen ab opere deſiſtere coactus fuisſet, quia ex obſervatione *Lud. Burgeſiæ* Obſtetricis Gallicæ c. XII. ſi ſinguli gemelli ſuas habent membranas, poſterior ſuam tunicam nequit rumpere, qui debilior eſt, viresque ſuas fregit ut ſimul cum primo prodiret.

II. Membranarum quoque tenuitas, facili rupturæ opportuna, ante aquam lubricandis viis neceſſariam effundit, quàm ad exitum paratus ſit fœtus. Hinc viæ,

per

per quas tranſeundum, exſiccæ laxari non poſſunt, nec fœtus emittere.

III. Anguſtia vaginæ excludi fœtum prohibet, ſive ea naturalis ſit, in fœminis ſtatura parvis, quales pleræque fuere quæ talia ſunt paſſæ, vel ætate provectis, quarum cervicem vulvæ duram admodum & cartilagineam deſcribit *Galenus* l. de Diſſect. Vulv. c. 7. adeoque extendi dilatarique ineptam: ſive morboſa & ab ulcere vel ſcirrho coaleſcens. Exempla memoriæ noſtræ ſuggerit *Hildanus* Cent. I. Obſ. 64. 67. Apud *Fel. Platerum* poſt partum difficilem mulieri cervix uteri ſpiſſiſſima ac veluti cartilaginoſa inventa & transverſi digiti craſſitie coaluerat. Tale quoque erat internum matricis oſculum prorſus connatum in muliere illa, de qua *Harvejus* l. de Partu, quod nec virilis membri, nec ſpecilli quidem ingreſſum admiſit, neque menſtruorum egreſſum; & niſi robuſti fœtus ſummo conatu partes illæ dilatatæ fuiſſent & disruptæ, nullus ſequutus eſſet partus. *Tobias Knoblochius* in Epiſt. Med. *Greg. Horſtii* Sect. 17. obſervavit in diſſecta gravida, ſcirrhum inſignis magnitudinis à fundo uteri incipientem & ad os uteri deſinentem, ob quam cauſam bona illa fœmina ſóbo-

ſobolem parere non potuit, ſed utero perfracto in abdomen projecit. Deſuit noſtris gemellis validum hoc robur, ſi vel maximè laxior Ingeræ eſſet Natura. Huc facit & ligamentorum durities, quam mulieres pleræque ſupra 40 ætatis annum patiuntur, ſicut annotavit *Rod. à Caſtro* l. 4. de M. M. c. 6.

IV. Siccitas & arcta conſtrictio Symphyſeon oſſis pubis, ſive ilii & ſacri, impedit non tantum in mulieribus, quæ natu ſunt grandiores, facilem partum, ſed prorſus nonnunquam retenti fœtus occaſionem præbet. Refert *Pinæus* l. 2. de Not. Virg. c. 6. ex obſervatione Anatomicorum, fœminas, quæ nunquam conceperunt, eſſe longè anguſtiſſimas, easdemque habuiſſe cartilagines inter hæc oſſa ſitas admodum tenues, ſiccas & ferè nullas aliarum reſpectu. Si has fortè contingat concipere, nunquam anguſtias iſtas oſſium immobilium & induratorum evadet fœtus. Experta id eſt paupercula Varſavienſis diris ac irritis parturientium laboribus per quatriduum divexata, de qua, quum occubuiſſet, teſtatur *Jo. Claud. de la Courvée* part. 3. de Nutrit. Fœt. c. 12. pubis oſſa ita fuiſſe conſtricta & conjuncta, ut vix novacula potuerint diduci, quibus

 diductis,

diductis, extractum eſſe infantem eo ſitu, quo prodibat, omnino naturali; unde rectè judicavit Vir laudatus, non aliò fruſtrati partus & utriusque mortis eſſe deducendam cauſam, niſi quia hæc oſſa non potuerint diduci; fuiſſe enim ipſam brevis admodum ſtaturæ, ſeniculam, quadrageſimum octavum ætatis annum agentem, nec antea geſſiſſe utero. Idem de oſſe ſacro judicium eſto, pro cujus dilatatione ſeu retroceſſione ad partum facilem pugnat *Mercatus* l. 4. de Aff. Mul. c. 3.

V. Ad Matrem aliæ cauſæ referri non poſſunt, quia vegeta fuit, robuſta, & dolores parturientium habuit validos ſatisque diuturnos. Sed fœtus ipſi ad impeditum puerperium contulerunt quamplurimum, ratione magnitudinis, virium & ſitus. Grandiores gemelli per anguſtum Naturæ iter egredi neſciunt, vel, ſi invalidi, matris conatum deſtituunt. Situs & egrediendi modus utramque hic paginam facit. In ſimplici quidem fœtu, quando venter pueri vel dorſum primum anguſto orificio incumbit funeſto omine & eventu. In ſimili caſu vidit *Platerus* l. 1. Obſ. transverſum fœtus ſitum, atque eximiam magnitudinem, quam longitudo illius & capitis amplitudo prolixis admodum

dum capillis conſtans declarabant, impedimento fuiſſe quo minus in partu prodire potuerit, ſicque retentum 20 ſeptimanarum ſpatio computruiſſe & vicinas partes infeciſſe. In gemellis verò, ſi ſimul egredi contendant, ſi pedibus priores exire conentur, ſi diverſo modo ad exitum tendant, ita ut alter capite, alter pedibus enitatur, quos excundi modos *Eucharius Rhodio* l. de Part. Hom. c. 4. *Jacobus Ruef* l. 4. de Muliebr. aliique prolixius poſt veteres perſequuntur. Bicipites fœtus præ cæteris incuſant *Aëtius* tetr. 4. ſerm. 4. c. 22. *Ægineta* l. 3. de Re Med. c. 76. & quantum ex transmiſſis oſſiculis diviliare licet, ſi gemelli non fuerunt, bina certè capita ſe prodiderunt.

VI. Inter poſtremas cauſas frigidus Inſulæ aër non eſt numerandus, monente *Moſchione* de Paſſ. Mul. idque quia venter inferior inflatur, ut ſuſpicatur *Vict. Trincavellius* l. 11. de Morb. Partic. c. 24. vel propter adſtrictionem, judice *Mercato* l. 2. de M. M. 3. & *Caſtrenſe* in Exercit. Med. qui id *Avicennæ* debuerunt, & *Iſaaco* l. 6. Viatic. c. 16. unde ſecundum Avicennam l. 3. fen. 21. tr. 2. c. 21. alioſque veteres, difficilius pariunt mulie-

Digitized by Google

res in regionibus ſeptentrionalibus & in ventis ſeptentrionalibus, & in regionibus & temporibus frigidis. Eleganti ſimilitudine hoc illuſtrat *Ant. Everhardus* l. de Hom. Exort. ſicut enim naupegi aſſeres rigidos ignis ſubſtructi beneficio, pro lubitu flexibiles reddunt: ſic mulieres in Indiâ, beneficio aëris calidioris, uteros fœtus excluſioni magis obedientes obtinent. Iniquum certè eſt puerperis noſtris cœlum noſtrum, ut puerperia vix ſex hebdomadibus finiantur, quum in Gallia viderim puerperas vix uno die intra lecti clauſtra contineri potuiſſe. Addo, Lalandiam inter Inſulas Daniæ valetudini eſſe infenſiſſimam, ut pauci ſenium attingant, hincque Laulandiam, quaſi humilem terram, dici monet *Jonas Coldingenſis* in Dan. deſcript.

CAPUT IV.

Repigrationem horum gemellorum ſupranaturalem non eſſe.

OMnia ſi jungas quæ & mater ad hanc cladem contulit, & gemelli, & aliæ inci-

incidentes res, quarum exactam enarrationem alii tradunt, impediti partus facilem habebimus rationem, eamque Naturæ conſentientem, ut extra naturæ ambitum evagari ſit ſupervacaneum. Noſtræ tamen Ingeræ credula ſuperſtitio perſuaſit, ad fruſtrandum partum Sagas artes ſuas curioſas advocaſſe. Ita enim ad me Confeſſionarius illius, Vir eruditus & fidelis ſacrorum cuſtos Dn. *Richardus Johannis* Suenopolitanus, per amicas literas retulit; narratum ſibi de quibusdam præſtigiis adhuc prægnanti mulieri Ingeræ oblatis. Nocte quadam in lecto conquieſcentem anſer quidam inter lecti ſtramina ſub cervicali roſtro perſtrepens excitabat, quo animadverſo, ſine mora ex lecto, prius tamen ſancto crucis ſigno ſe muniens, proſiliebat, ſtrepentem anſerem extra cubiculum emiſſura. Anſer autem exporrecto collo ventrem ipſius undiquaque roſtro vellicare cœpit, quo cum nihil proficeret, apprehenſum per alas in veſtibulum projecit, & occluſis poſt ſe foribus, cubitum ſe denuò contulit, unam ex ganzis ſuis in conclavi ad excludendum ova recluſis eſſe rata. Mane autem evigilans præſtigias fuiſſe ſenſit, ganzas enim ſuas omnes in nidis, ubi veſperi repoſitæ fue-

rant, placidè incumbentes invenit, & ex illo tempore languere & torqueri cœpit. An à ſupranaturali cauſa retardari ita poſſit partus & ad plures annos prolongari, me repugnante, concedunt malè creduli. De Ilithyia Alcmenæ partum impediente, ita *Ovidius* l. 9. Metamorph. fab. 6.

—— digitisque inter ſe pectine junctis
Suſtinuit partus. Tacita quoque carmina voce
Dixit: & inceptos tenuerunt carmina partus.

Plinius l. 28. c. 6. hujus moris damna quoque recenſet ex hiſtoria Alcmene: Adſidere gravidis, vel, cum remedium alicui adhibeatur, digitis pectinatim inter ſe implexis, veneficium eſt: idque compertum tradunt Alcmena Herculem pariente: pejus, ſi circa unum ambove genua. Miror cur hujus occultæ rei rationem à *Galeoto Martio* requirat *Georgius Merula* Alexandrinus Annotat. in illius libr. de Homine; quum mera ſit ſuperſtitio ratione naturali carens, & tam vera quam Alcmenæ partus. Nec unquam ab ipſis Romanis ratione ulla proditæ ſuperſtitiones, ſed fictæ, nec defenſæ niſi multitudine, quod de furore

furore dixit *Minutius Felix* in Octavio. Rectè igitur *Lactantius* l. V. de Juſtit. c. 20. in Paganorum religione, nihil aliud videre ſe dixit, quam ritum ad ſolos digitos pertinentem. *Apulejus* l. 1. Metam. de Saga narrat, quæ amatoris ſui uxorem jam in ſarcinam prægnationis obſepto utero, & repugnato fœtu, perpetua prægnatione damnavit, &, ut cuncti numerabant, octo annorum onere miſellam illam, velut elephantem parituram, diſtenſam. Quid ſit *repugnare fœtum*, explicat *Beroaldus*, nempe cum jam maturus exire non poteſt ex utero materno, quaſi coërcitus, vinctusque. Rectius tamen Mſc. & alii Codices editi legunt, *repigrato fœtu*, quæ vox alibi in *Apulejo* uſitata, & authoritate *Martiani Capellæ* l. 1. de Nupt. Phil. defenditur ab *Elmenhorſtio* in Ind. Apul. Repigrari ita fœtus in utero materno per Sagas concedit quoque *Martinus del Rio* in Diſq. Magic. quem ſequitur *Caranza* Cap. XV. hanc ſolam protractæ graviditatis cauſam agnoſcens. Meminerint tamen, niſi aliis exemplis ſe tueantur, *Apulejum* circa Aſinum aureum occupari, nec pro veris hiſtoriis omnia recipienda, quæ ex ingenio ſcribit. Severum eſt Severi de Albino judicium apud *Capitolinum*

in Vita Clodii Albini, quod ille næniis quibusdam anilibus occupatus inter Mileſias Punicas Apuleji ſui & ludicra litteraria conſenuerit. Ne eodem fulmine feriantur creduli, ſedulò cavendum. Perſuaderi mihi non patior, vera eſſe quæ de Saga *Apulejus* prodidit. Folia ſunt artis, & meræ nugæ, quæ de Sagarum potentia ſparguntur, nam ſi iniquo numinis miniſterio uti poſſent pro lubitu, plerique fœtus in generis humani detrimentum repigrarentur. Peponibus illudunt, ipſaque illa Saga *Apulejo* impoſuit, neque enim gravida verè fuerat amatoris uxor, ſed aliud morboſum ſeu uteri ſeu ventris onus geſtavit, cujus eventus, graviditati ſimilis, falſò Sagæ imputabatur. Dubium occurrit ex *Binsfeldio* l. de Confeſſ. Malefic. ubi maleficos ope diabolica adjutos poſſe impedire vim generativam inter conjuges probat ex Jure Canonico, & ex ipſa ratione: Poteſtas enim Dæmonis eſt major poteſtate hominis, ſed opere humano poteſt aliquis fieri impotens ad carnalem copulam, ut per caſtrationem, ruptionem, herbas, vel medicinas. Idem momentum ad repigrationem fœtus procedit, quæ vario puerperæ ſitu procuratur & lapidibus. De lapide in cervi vulva

reperto

reperto tradit *Plinius* l. 38. c. 19. cuſtodire partus. De cinere crinaceorum Idem l. 29. c. 14. & vermiculis in gramine collo alligatis. De aëtite teſtatur *Dioſcorides* l. V. c. 161. gravidis continere partus, cum lubricæ ſunt vulvæ & parum tenaces, ſiniſtro brachio adalligatum. Conſentiunt *Plinius* l. 30. c. 14. & l. 36. c. 21. *Lemnius* l. 4. c. 12. *Claudinus* ſect. 2. Conſult. 34. *Boëtius* l. 2. de Lap. c. 198. aliique. Quanquam aliud ſit abortum præcavere, aliud foetum jam maturum retardare. An fœcunditatem præſtigiæ amoliantur, dubitat *Jo. Vierus*, qui l. 3. c. 35. ſerpentes ſub oſtii limine poſitos irridet, ut & alterum, de olla in fundo putei recondita, qua ad congreſſum impotens factus quidam Comes dicitur. Cur enim in illis regionibus, ubi ſerpentum numerus domos pervagatur, non omnes ſterileſcunt fœminæ? Cur non omnes ex communi puteo aquam uſurpantes languent? Dæmon quomodo illis illuſerit, ibidem *Vierus* exponit, qui demum lib. VI. c. 25. per compendium probat, Lamias nihil poſſe neque per ſe, neque per incantationes, neque per Dæmonem, neque Dæmones per ipſas ea præſtare poſſe. Naturalia remedia ἀτόκια habet *Hip-*

pocrates l. 1. de Mul. quem hoc nomine excuſat *Maur. Cordæus* Comm. 7. quod aliena illa ſint à Coi ὀργῶν, adeoque culpa librarii irrepſiſſe in contextum, quod memoriæ gratia in margine Author annotarat. Nam talia remedia vocantur ſterilitatis venena, illorumque auctores ut homicidæ puniuntur in Bulla *Sixti V.* cujus edicti rationem reddit *Jo. Henr. Meibomius* c. XV. n. 63. Comm. in Jusj. Hipp. Graviditas tandem illa Apulejana tam vera eſt, quam eſt illa decennalis Elephanti, cui ibidem aſſimilatur. Antiqua enim ea fuit traditio, ſed apud vulgus ſolum, & fabularum Mileſiarum conditores. *Plautus* Stich. Act. 2. Sc. 1.

Audivi ſæpe hoc *vulgo* dictum dicier,
Solere Elephantum gravidum perpetuos decem
Eſſe annos. ——

Plinio quoque l. 8. c. 10. decem annis geſtare in utero *vulgus* exiſtimat. Quo ſpectat teſtimonium *Achillis Tatii* l. 4. Erotic. qui de matre Elephanti, annos decem in utero ſemen informandum continere

tinere ſcribit, deinde exacto annorum hujusmodi curriculo in lucem edere fœtam jam ſeneſcentem. Si verum dicamus, tot anni non ſunt; quot verò ſint, incertum eſt, authorum, quorum fide ſtamus, diſſenſu. *Ariſtoteles* l. 6. Hiſt. Animal. c. 27. ſeſquiannum affert, vel ſecundum alios, annos tres, quem terminum ſequitur *Ælianus* l. 4. de Anim. c. 31. ut mirari ſubeat *Plinium* l. d. ejusque compilatorem *Solinum* Polyh. c. 25. quod biennium Ariſtoteli affingant. Quanquam verò ex eodem *Ariſtotele*, temporis hæc controverſia exinde oriatur, quod coitum obſervare facilè non ſit; *Strabo* tamen l. 15. de India, terminum partus certum definit, nempe cum tardiſſime menſem à conceptu decimum octavum, cum celerrimè ſub ſextum ac decimum. Quicquid de his illisve ſit, quo minus ego præſtigias hic ſubeſſe credam, illud facit, quod exemplis repigratio hæc partus non careat, in loco poſtea ſignandis, & Natura prægnantes harum nativitatum rationes ſubminiſtret. Divinam tamen aliquam providentiam acceſſiſſe, non auſim negare. Nam, ut verè B. *Auguſtinus* l. 10. de Civ. DEi c. 17. hæc atque hujusmodi DEo parva ſunt, ſed magna terrendis

ſalu-

ſalubriter erudiendisque mortalibus. Certe, ex quo primum Ingera gemellos dicitur concepiſſe, nempe ab Anno ſeculi hujus 43, ad exitum anni 61, quo ultima oſſa excrevit, variam fortunam cum prægnante hac experta eſt Dania univerſa, ut tandem, poſt tot rerum viciſſitudines jactata, prorſus aliam faciem induerit & inſolitam, utinam ad gloriam DEi, Sereniſſimæ familiæ Regiæ ſplendorem, & ſubjectorum ſalutem meliore hoc vultu perennet. Ultra non inquiro, ſed fata ſinam eſſe in occulto, quod olim Annibali ſuaſit Spectrum apud *Livium* l. 21.

CAPUT V.

Cur per orificium uteri oſſa gemellorum non prodierint?

IMpedita ſic gemellis exeundi licentia, dilatoque parturiendi termino, mors pro vita inſequuta eſt, ſepulchrumque & cunæ uterus fuit, inde putredo & carnium reſolutio. Statim enim ac vivere in utero deſinit fœtus, quia propriam vitam ibi vixit, & à matre nulla vitæ

ſubſidia

Digitized by Google

ſubſidia relinquuntur, ſed, quæ ad vitam antea contulerant, in ejusdem diſſolutionem convertuntur, cadaver fit, putreſcit, oſſibus ſolis demum relictis. Idem prioribus annis in vicina Scania evenerat Helenæ Mauritiæ, cujus hiſtoriam *Cent.* 1. *Hiſt. Anat.* 12. annotavi, niſi quod cutis adhuc oſſibus fuerit inducta. Vitulus autem Fridericiburgenſis prorſus ſimile fatum expertus eſt, cujus oſſa nitidiſſima in utero vaccæ reperta, inter Muſæi rara ſervo, ut mirari neceſſe ſit exactum caloris artificium, in oſſibus à carne tam nitidè mundandis, ut arte manuque artificis abraſam carnem, membranas, ligamenta, in lebete excocto jurares. Ita coquuntur oſſa in apoſtemate uteri, quod hic adfuiſſe credo, à calore quo apoſtema matureſcit. Ex retento enim fœtu tumor oritur, & apoſtema, quod uteri lateribus tanto tempore annectitur, donec ad maturitatem calore perducatur, tumque abſumptis carnibus nuda oſſa exſiccata relinquuntur, & oſſeum apoſtema emergit, quo ſuppurato per proxima loca evacuatur, nonnunquam per vaginam uteri patulam, nonnunquam per alias partes in Hiſtoria adductas & jam jam exactiore diligentia expendendas. Unde tacitè indicavi-

cavimus, cur tot annorum ſpiramentis, oſſa fœtuum non viam naturalem, ſed aliena loca quæſiverint & perruperint. Novum non eſt utero, deſtinatas ibidemve contentas res alio avocari. Dubitantibus opponam menſes, quos per umbilicum & inguina prodiiſſe exempla *Zacuti* in Prax. Med. Mir. comprobant, imò per lotium quoque effluxiſſe, fidem ego facio. Novi uxorem Civis Hafnienſis honeſtam & juvenculam, quæ loco menſium, cruentum lotium ſtatis menſtruisque viciſſitudinibus mejit, cum iisdem ſymptomatibus quæ aliàs ſolebant menſium eruptiones præcedere, dolore præterea circa veſicam, ut urinam continere ſit difficile, quæ incontinentia exacto fluxus menſtrui termino deſinit. A partus difficultate primum inſuetam iſtam viam obſervavit, quippe ora venarum in uteri collo occalluerunt, ut jam nequeant reſerari, nam fruſtula membranacea in difficili prioris anni partu inde abraſa vidi. Forſan etiam à difficili partu in puerpera noſtra conſtrictæ fuerunt naturales viæ. Vel ea parte aliud impedimentum objecit morboſa uteri conſtitutio, qua nonnunquam exituris conceptibus remora injicitur. Sanam prorſus non fuiſſe mulierem, exinde conſtat, quod carnes ge-

gemellorum apud eam corruptæ fuerint, quod variis apoſtematibus hinc inde uterus ſcatere debuerit, quod exinde ingentes dolores perpeſſa ſit, quod denique interea conceperit nunquam, ſed, quia ſterilis fuit ſeu ætate ſeu alio vitio, obſtetriciam artem in ſe ſuſceperit exercendam. Scilicet ex Socrate apud *Platonem* in Theæteto, nulla ex illis quamdiu concipit paritque parturientibus opitulatur, ſed cum jam ad fœtum ineptæ ſunt ipſæ. Alias tamen cauſas, ad fidem proniores, afferam, cur oſſa gemellorum ſolitam viam refugerint. Una penes ipſos gemellos reſidet, penes uterum altera. Gemelli vel in apoſtemate verſus alias partes concluſi, vel transverſim ſiti per orificium uteri egredi nequiverunt, eundemque ſitum etiam oſſea compages ſervavit. Poſterius illuſtrabo *Hippocratis* ſimilitudine l. 1. de Morb. Mul. à nucleo deprompta, quem ex vaſe anguſti oris obliquè extrahere vel laborioſum, vel impoſſibile. Occurrit nobis *Felix Platerus*, cujus obſervationem *C. Bauhinus* recitat in Append. ad Roſſetum ſect. 4. noſque eandem ex lib. 1. Obſ. *Plateri* nuper repetebamus, de fœtu mortuo quatuor menſibus retento Catharinæ Frechin uxoris ſartoris Baſileenſis, in cujus

cujus cadavere primo ventris intuitu, veſicas geminas lividas in latere umbilici, ubi tumor durus, inæqualis adhuc transverſim eminebat, deprehendit; quibus levi negotio, cum tenuiſſimæ eſſent, disruptis, ſtatim vertebræ ipſius fœtus, una cnm ſcapulis & coſtis, obviæ erant. Transverſim enim collocatus & ſupinus, dorſo inflexo, uti in orbem convolutus jacebat, verſus exteriora prominebat. Qui exemptus diductusque, adeò putris erat, ut præter cutem & oſſa, quæ tamen levi negotio diſſolvebantur, & quod fœmella erat, nihil aliàs liceret, vel fœtor immenſus ſineret cognoſcere. Hoc ſaltem manifeſtum erat, transverſum illius ſitum, atque eximiam magnitudinem, quam longitudo illius, & capitis amplitudo prolixis admodum capillis jam ornata, declarabant, impedimento fuiſſe, quo minus in partu prodire potuerit, ſicque retentum viginti ſeptimanarum ſpatio computruiſſe, & ſimul vicinas partes undique infeciſſe. Oſſa noſtra & ex gemellis ſunt, niſi fallit nos conjectura, & magnitudine conſpicua, ut & ſitu transverſo & magnitudine excluderentur. In pleriſque tamen inſueto hoc partu editis, apoſtemati incluſa fuiſſe oſſa ſuſpicor, ut illo tantum uteri loco elabe-

elaberentur, quo maturum apoſtema potuit rumpi. Tunicam quoque ſuam habuit apoſtema uteri, qua involutus fuit fœtus dum putreſceret. At per partes ſeu ſenſim tamen prodire oſſicula debuere, quia per partes caro ſenſim computruit, & oſſa ſeparata, & exulceratus uterus cum abdomine foramine non ita amplo univerſum ſceleton excernere nequivit. Utrumque quod dixi, nempe ſceleton embryonis tunica ſua in utero fuiſſe involutum, & per partes tamen deinde excluſum, vidit Ampliſſimus *Tulpius* l. 4. Obſ. Med. c. 39. in Margaretha Cornelia, cui datum fuit medicamentum alvum ſtimulans, cujus beneficio cum excernerentur *plurima membranoſa* putridis vermibus ſimilia, decretum fuit eandem viam inſiſtere, reliquamque illius ſaburræ colluviem exigere; cum per decoctum detergens, ac catharticum, tum per pulverem oculorum cancri &c. quorum medicamentorum ope erupere per alvum pedes embryonis demortui, *membraneo involucro* incluſi, quos manu ſuâ educturus Chirurgus, extraxit ſimul inde femora, nates, ventrem, imò quicquid fuit infra lumbos, cum cute, carne, umbilico, ac evidente ſexus fœminei diſcrimine. Deinde novis exhibitis pellentibus, excrevit tandem, præter plurima

Digitized by Google

purulenta, coſtæ, brachii, ſcapularum, ſpinæ dorſi, occipitis, frontis, ac verticis oſſa. Notandum diligenter, involucra membranoſa hic excreta fuiſſe & ſenſim per partes oſſa carnemque putridam, quæ quidem in utero exulcerato adhuc hæſiſſe, donec excernerentur, id indicium eſt, quod etiam per uterum pus fluxerit, doloresque veluti parituræ circa pubem & inguina oborti, & in uterum injecta ſint decocta ex accurato judicio *Franciſci Vicquii* Medici exercitati. Idem evidentius confirmatur *Ludovici Gujoni* l. 5. de pulchr. & Sanit. Corp. c. 25. à *Theophilo Raynaudo* c. 13. de Ort. Inf. contr. Nat. n. 6. laudati exemplo, qui mulierem vidit, quæ infantem in utero mortuum, ibique longo ſitu putrefactum, tandem ſuperſtes & incolumis ejecit, primum quidem carnibus putrefactis aquæ ſpecie emiſſis cum lotio, deinde verò oſſibus ſigillatim, per foramen ſub umbilico enatum, è quo Naturæ impetu proſiluerunt. In quo exemplo fœtus mortuus remanſit in utero, & caro putredine ibidem conſumpta per veſicam, vicinitatis vitio læſam, cum ſero excreta, vel certè ex ipſo utero, cujus exitus cum veſica ferè à rerum ignaro vulgo confunditur, oſſibus apoſtemate circa umbilicum

aper-

aperto exeuntibus. De ligamentis, quibus partes invicem in corpore connectuntur, vel heterogeneæ ſubſtantiæ, qualis fuerat hic gemellorum tumor, aliis annectuntur, nuperrimè vidi eruditè differentem *Henr. Eyſſonium* de Puer. Lapideſ. Sect. 3. §. 12. ad quem lectores dubios remitto, ut opera hac ſuperſedere poſſim. Unum *Tulpium* adhuc conſulere placet, qui hujus connexionis exemplum ſubminiſtrat l. III. Obſ. c. 34. Vidit enim in vulvâ mulieris, à cancro uterino occiſæ, delituiſſe tumorem, ut lividum ac atrum, ſic cruore ac ſanie undiquaque perfuſum, adhæſiſſe verò membraneis ſuis filamentis tam arctè vulvæ tunicis, ut non potuerit inde eximi ſine ſcalpelli auxilio. Hiſce igitur ſimilibusque vel ligamentis vel tunicis utero affixus fuit tumor noſter fœminæ, quem anomalum rectè vocarim, ut in utero tamdiu permanſerit, donec, facto per abdominis foramina exitu per partes excernerentur. Denique, etiam uteri ipſius vitio non rejiciuntur per vaginam oſſicula, quia à motu expulſivo ceſſat, qui tum demum fortiter inſurgit, quando maturo fœtu & vegeto, matreque ſana, utero dolores oboriuntur, ab umbilico ad inguina, indeque ad lumborum vertebras reflexi, de quibus, præter alios,

legendus *Paræus* l. de Hom. Gen. c. 16. & *Chr. Guarinonius* Conſult. 14. Pro ſententia mea confirmanda illuſtrem produco locum *Hippocratis* l. de Nat. Puer: Eſt, inquit, ubi ſanguis quinque aut ſex menſibus in utero immoratus, ibique putreſcens in pus vertitur, quod quibusdam per *pudendum* extra fertur, nonnullis etiam in *inguine* velut *tuberculum* oboritur, ibique in pus converſum foras prodit.

CAPUT VI.

Vicinitatis jus in oſſium horum per varias vias excretione.

NOtandum igitur ex ſuperioribus, tumores ruptos per proxima loca expurgari, & oſſa quoque per vicinas uteri partes protrudi à Natura, quando via ordinaria deficit Non hic à conſueto inſtituto deflectit, jure vicinitatis ubique ſervato. Ita ex tenesmo Attici per lumbos fiſtula putris erupit, teſte *Corn. Nepote* in illius Vita. Ita dentem in Muſæo aſſervo, qui ex ſuppurata aure profluxit, propter viciniam maxillæ ſuperioris cum

oſſe

oſſe petroſo, mihi è Norvegia miſſum à Cl. Viro *D. Treublero*, Medico Bergenſi. Servant hanc vicinitatem pleraque, quæ per ignotas Naturæ vias difficilesque ferri paſſim in Obſervationibus Medicorum circumferuntur. Sic calamus ille ſpicæ cum ſpica ipſa per virgæ meatum in veſicam intruſus Gaudalupæ ab homine, cui paſcendarum caprarum cura erat, poſt ſesquiannum ex vicini cruris ſiniſtri apoſtemate extractus fuit, quod divinæ providentiæ adſcribit *Franciſcus Arcæus* l. 2. de Cur. Vuln. c. 4. namque ita Deum homini conſuluiſſe, ut veſicæ pellis paulatim rumperetur, atque ex ruptâ ſpicam ad proximam carnem expelleret; deinde rurſus veſicæ pellis coiret, atque caro tumefiens matureſceret, & maturo tumore atque curato ſpica prodiret, & æger liberaretur. Eadem, Deo & Natura jubente, acciderunt mulieri noſtræ, utero hinc inde exulcerato, & denegata via naturali, per umbilicum & ilia, vicinitatis compendio, ſe uterus exoneravit. Nonnunquam carnes putridæ cum oſſibus via communi rejiciuntur, nonnunquam tamen diverſa, ubique ſervata vicinitate. Ita per vicinam veſicam aliquando in aqueam liquiditatem reſoluta caro prodire viſa

Gujono l. 5. de ſanit. c. 25. pronuper nominato, & per eandem viam abſceſſus alii uteri expurgantur. De univerſo iſto viciniratis negotio *Oribaſius* l. 9. Synop. c. 51. ſciendum monet, abſceſſum vulvæ rumpi quandoque per vulvæ ipſius os, quandoque per veſicam, ac ſæpe etiam in rectum inteſtinum rumpi. Diverſitatem loci, varius apoſtematis in utero ſitus efficit, qui vel in ſuperioribus uteri partibus eſt, tumque ad umbilicum rumpitur, vel inferioribus, iisque vel lateralibus in inguinum ruptione, vel poſterioribus, in recti inteſtini, quod utero adnaſcitur, apoſtemate. Tot enim ſunt viæ, quibus mortuus fœtus ejusve particulæ carneæ & oſſeæ, via ſolita obſtructâ, excluduntur. Ut conſpectior ſit effati veritas, ſingula certis indubitatisque exemplis aliis demonſtrabo, per authorum noſtrorum veſtigia iturus, & per partes ſingulas, quæ vel fœtum vel fœtus particulas, præter conſuetum modum naſcendi, ediderunt.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Chriſti nativitate miraculoſâ.

NAſcuntur autem mortales inſolitâ viâ partus vel miraculosè, vel fabulosè, vel naturaliter. Miraculo & cauſæ ſupra naturali adſcribenda eſt nativitas Salvatoris *Chriſti* ſine patre mortali concepti, & clauſis virginitatis clauſtris ex Virgine editi. Quod cum dicimus, non excludimus viam naturalem, ſed modum plane divinum agnoſcimus, quo per anguſtias virginales, ſine virginitatis læſione, perrupiſſe DEi filium ſacris libris credimus, adeoque contra aliter ſentientes cum *Montacutio* Apparat. 9. ad Orig. Eccleſ. §. 59. profitemur, neque novum illud in terris adeò novum fuiſſe, ſi non & per omnes nativitatis & conceptionis partes illa Nativitas deſcendiſſet. Virgo concepit, & eadem filium peperit, *Eſa.* V. 14. *Matth.* I. 22. *Luc.* I. 26. Planè ſingularis eſt hic ſententia *Jo. Baptiſtæ Mantuani*, qui Tr. de Loc. Concept. Chriſti, ut Virginis hujus partum excuſet, ſuſpi-

Digitized by Google

catur potuiſſe Chriſtum dici natum ex B. Maria Virgine, tametſi ex ea aliunde prodiiſſet quam naturali & communi via. Illud autem *aliunde* non explicat, nec revera poteſt, tacente ſcriptura ſacra. Quippe viam naturalem hic ſervandam ex *Luc.* II, 23. conſtat, ubi vulvæ apertæ mentio fit ex lege veteri de maſculis primogenitis, & commate præcedenti purgata dicitur Maria puerpera, more ſcilicet aliarum puerperarum.

CAPUT VIII.

De Capite Puerpero.

A Capite exorſus, nullam naturalis fœtus nativitatem hac parte inaudivi. *Harvejus* quidem de Gen. Animal. conceptus uteri eo modo fieri docet, quo conceptus in cerebro, & uterum pari ratione fœtum efformare, qua cerebrum format ſpecies; & genituræ materiam à cerebro præcipue defluere, *Hippocratis* fuit placitum. Capiti quidem ſuos partus aſſignat *Petronius: neque concipere aut edere partum mens poteſt, niſi ingenti literarum flumine*

flumine inundata; Sed ex cerebro editos veros fœtus, hactenus ignoravimus. Fabuloſo tamen ſeculo, Pallas ex cerebro Jovis nata dicitur. Acerrimus morum & religionum Cenſor *Lucianus* in Dial: Deor: iſtud Jovis puerperium ſalſe irridet, ſed eleganter deſcribit. Vulcanum adeſſe ſibi juſſit Jupiter, ſpe alia prolis cum Junone fruſtratus, cum ſecuri acutiſſima, etiam ſi lapides uno ictu opus eſſet diſſecare, eaque impacta dividi ſibi voluit caput in duas partes. Vulcanus invitus quidem hoc obſtetricandi cruentum munus ſuſcepit, ex imperio tamen Jovis calvariam diviſit prægnantem, viditque proſilientem armatam puellam vivam, ſaltantem, cum armis tripudiantem, clypeum concutientem, haſtam vibrantem, furore concitatam, formoſam admodum, & ætate maturam, cujus ſtatim amore captus Vulcanus, hoc ſibi obſtetricandi præmium à Jove petiit. Fabulam hanc antiquiſſima Patera literis Etruſcis inſignita depingit accuratè, cujus iconem ex Muſæo *Ferdinandi Coſpi* Bononienſis mihi transmiſit Muſarum delicium *Carolus Dati*, pro meo de Puerperio veterum Commentario, ubi nitidè exprimuntur puerperii hujus actiones omnes, Jovis ſedentis, Lucinæ Jovem am-

babus ulnis amplexantis, Junonis Minervam è capite puerpero excipientis, Vulcani cum malleo, & alia ad rem noſtram Antiquariam ſpectantia. Quid huic fabulæ occulti ſenſus ſubſit, Mythologi docent. Eandem hiſtrioniam exercet etiam nunc orbis, ſed infelicius, mutatisque perſonis Deos fabuloſos exprimit. Neque enim natam Minervam noſtram Vulcanus amico conjugio ambit, ſed Mars devorat.

S. *Hieronymus* l. 1. in Jovinian. n. 69. doctiſſimam Græciam finxiſſe ait Minervam de Capite Jovis, & Liberum Patrem de femore ejus procreatos. Easdem illas nativitates Paganis objecit *Ruffinus* ad 3. Art. Symb. ut demonſtraret conceptum & editum Chriſtum absque maris & fœminæ copula. Non tamen iccircò credendum, S. Patres has narrationes de Jove Paganorum pro veris habuiſſe; ſed ideò adductæ ab illis ſunt, ut ex propriis Paganorum figmentis, quæ hiſtoriis veris annumerabantur, convincerent eos, contra quos diſputabant, nempe Chriſti nativitatem pro incredibili non eſſe habendam, quum Minervæ & Liberi nativitas, ſine maris & fœminæ congreſſu natorum, par miraculum involveret.

Hu-

Humanæ figuræ quidem etiam in capite obſervatæ. In Natta quadam capitis Romæ effigiem pueruli vidit D. *Henricus à Moinichen*, Medicus Aulicus, amicus noſter & affinis, de qua in Epiſtola ad me *Cent.* 2. *Epiſt. Med.* 98. dubitat. Credo tamen varias formas hinc inde in tumoribus conſpici, quæ caſù quodam, ſine ullo naturæ conſilio aut artificio, eveniunt, ideoque neque conſideratione abditâ indigere, ſicut in lapidibus variæ hominis integri vel ejus particularum figuræ exprimuntur, quod in Epiſtola de Fœtu Muſſipontano ad *Jo. Dan. Horſtium* Virum Magnum probavi, de quibus quoque videndum ſpeculum Lapidum *Camilli Leonardi* à *Petr. Arlenſi de Scudalupis* editum.

CAPUT IX.

Ex ore Nativitas.

JAm novas fabulas proponi Hiſtoriarum Medicarum ignari putabunt. Pro meo tamen calamo intercedo, qui pro veris ſcripta & edita, pro veris hic repetit, ra-

rationemque Naturæ amicam exponit. *Joan. Alphonſus de Fontecha* in Lum. 2. fol. 243. ex *Bernardino Montanâ*, in declaratione Somnii Marchionis de Mondexar, quemadmodum teſtatur *Gaſpar à Rejes* Quæſt. 90. Elyſ. Camp. § 16. ſcribit, uxorem cujusdam ſervi ipſius Marchionis, poſt convaleſcentiam gravioris cujusdam morbi, tantam carnis & oſſium quantitatem per os depoſuiſſe, ut integram humani fœtus confabricationem æquarent; & hominis ſive fœtus absque dubio fuiſſe ait in utero geniti, cum ipſa ante morbum gravida eſſet, nec per conſuetam aut aliam viam conceptum aliàs emiſerit. Per quas autem vias ab utero remoto ad os caro & oſſa illa ferri potuerint, quia vicinitati hic nullus videtur relictus locus, diverſis conjecturis ambigitur. Nolo ego in hiſtoriæ veritatem ſcrupuloſius inquirere. Ipſe *Montana* oculis ſuis ſe vidiſſe teſtatur, quos ego non auſim damnare. Multa fiunt apud Garamantas & Indos, quæ vera eſſe poſſunt, quanquam ego vel alii urbis noſtræ incolæ illa non viderimus. Viæ quidem ſunt obſcuriores nobis, neutiquam Naturæ, cui ubique patet corpus. Laudatus *Fontecha* exiſtimat, per venas uteri ad venam cavam adſcendiſſe

oſſa

oſſa fœtus, inde ad ventriculum deſcendiſſe. Naturæ id non repugnare *Rejes* defendit, cum plumbeos globulos, cultellos, enſium fruſta, & alia multa per ignotas vias & ſibi ipſi ſolum cognitas ſæpius extra corpus transmiſiſſe viſum fuerit. Ego vicinitatis jus adhuc tueor, & in prædicto exemplo probabo. Difficilis enim oſſium longiorum per anguſtias venularum tranſitus, imò periculoſus, quia ſanguinis curſus interciperetur, palpitationes orirentur & pulſuum intermiſſiones. Nec ex recluſione venarum ventriculi, cruor evomitus narratur. Duplicem autem prægnans uterus & diſtentus viciniam habet, quæ huic phænomeno illuſtrando inſervit, nempe inteſtinorum & ventriculi.. Illis incumbit gravidus uterus ad latera detruſis, quibus idcirco ab exulcerato utero, qua parte vicinitas jubet, perforatis, oſſa & aliæ putridæ carnes infantis per illorum cavitatem recta ad ventriculum usque eructantur. Tam quoque ventriculo vicinus in gravidis eſt uterus, ut illum comprimat, cibique parſimoniam non rarò imperet, & vicino ſua contagia de facili imprimat. Forſan hac etiam parte erupere fœtus fruſta. Nauſea & vomitus nos eò perducit, quem paſſa
eſt

eſt illuſtris ac honeſta mulier Florentina Magdalena, Equitis Acciaioli uxor, narrante *Marcello Donato* l. 4. Med. Hiſt. Mirab. c. 22. quæ, cum per elapſum quinquennium ab acerrimis doloribus univerſalibus vexata fuiſſet, inſcia tamen an tunc temporis in utero haberet, mane ſummo dolore, ingenti nauſea, ac tandem vomitu ſubortis, impetu maximo, anxietate ac ſudore, infantis oſſa omnia evomuit, ab eadem poſtea magna cura aſſervata.

De infante per os excluſo ex *Phil. Salmuthi* Cent. 3. Obſ. Med 94. repetat hiſtoriam, qui volet, ne à me fides actæ rei exigatur. Eam ex literis Joannis Komeleri, in Conſulis iſtius Civitatis Imperialis ædibus degentis, ut oculati & fide digni teſtis, ad Gothofredum Hoffmannum affinem & compatrem ſuum datis, deſcripſit *Salmuthus*. Si quidem in ventriculo natus hic dicitur & conceptus, cur per os editus ſit, ſcrupulus ſupereſt nullus, proxima enim per os via excluſionis patet, quemadmodum aliorum tumorum ventriculi intus ruptorum. Idem eſto judicium de fele, quam gravidam in prædio Fridericiburgenſi ſuos catulos evomuiſſe, ex fratris amantiſſimi, nuper de-

functi

Digitized by Google

functi *M. Alberti Bartholini*, narratione teſtati ſumus Cent. 5. Hiſt. Anat. Rar. 98. Si ibidem quoque concepti fuerunt, qua data porta eruperunt. Sin in utero, vias ante ſignavimus. *Jo. Chriſtoph. Eiſenmengerus*, Vir ſenio & experientia ſpectatus, in Epiſt. ad *Jo. Dan. Horſtium*, utriusque amicum, felem hanc, de qua ex fratris relatione ſcripſi, clam fœtum unum vel alterum per uterum rejeciſſe, conſentaneum rationi putat, &, quod facere plura animalia ſolent, ſecundinam, cumque ea fœtum devoraſſe, poſt in conſpectu hominum vomitu rejeciſſe. Secundum naturam autem hoc non fuiſſe factum, ſubſequentem felis mortem teſtari poſſe. Quæ meæ quoque fuerant ſuſpiciones, firmiterque illæ animo meo inhæſerant antequam nihil tale contigiſſe prædii Fridericiburgenſis domeſtici aſſeverarent. Rectè interim monet Vir laudatus, præter naturæ conſuetum ordinem id feli accidiſſe, quæ ea propter inſuetæ paſſionis raritatem morte expiavit.

Muſtelam ore parere ex antiquorum traditione refert Ariſtoteles l. 3. de Generat. Anim. c. 6. Fabulis tamen accenſet *Nierenbergius* l. 4. Hiſt. Nat. c. 5. quem ea propter *Jo. Sperlingius* Zootom. c. 28.

n.

n. 3. ſequitur, quia nec ventriculus geſtationi aptus, nec auris conceptioni. Originem fabulæ ex fabula repetit *Ovidius* l. 9. Metam. fab. 6. Galanthis enim, quæ Junone illuſa Alcmenam partus cruciatu liberaverat, in muſtelæ figuram converſa dicitur, ita ut ore, quo mentita fuerat, pareret. Naturalem verò rationem affert *Ariſtoteles* l. d. cur ita opinati ſint veteres, quia muſtela parvos admodum parit, ut & cæteræ fiſſipedes, & ſæpe catulos ſuos ore ſuſceptos transfert. Revera enim ore parere non poſſe evidenti hoc argumento evincit, quia vulvam habere certum ſit, more cæterarum quadrupedum, ex qua quonam pacto fœtus ad os deveniat videre ſe non poſſe. Sed multa in occulto latent, quæ tamen vera ſunt. Quid ſi muſtelæ idem contingat, quod ranis. In his certè, quod nuperrimè obſervavit *Ol. Borrichius*, amicus & Collega, ab utero, ſi infletur, deprehenditur canalis variè intortus aſcendere ad usque fauces. Et muſtelam in utero concipere veterum nullus prodidit, verum per aures, quarum cum ore per tubulum commercia Proſectores non ignorant. *Ælianus* l. 2. de Anim. c. 55. tradens, muſtelas in mari ore parere, & fœtum eodem denuo recipere, reddereque

reque eadem via vivum & incolumem; eludere videtur *Ariſtotelis* rationem, concedendo ore aſſumi, & ore prius receptos rejici. Siquidem vermes, ranæ, lacerti in ventriculis animalium ex ſuo quisque ſeminio generantur, ſicut exemplis certi ſumus, cur de muſtela vel fele dubitamus? Ægyptiorum eam de muſtela opinionem fuiſſe edicit Magnus *Gerard. Jo. Voſſius* l. 3. Orig. Idol. c. 54. quippe apud quos vixit *Ariſteas*, qui L. de 70. Interpr. p. 45. de muſtelis ſcripſit, auribus concipere, ore autem fœtum parere ſuum, hocque ideo eſſe ſymbolum eorum, qui auribus percipientes, eaque ſermone exaggerantes, malis alios involvunt: atque adeò hanc eſſe cauſam cur muſtelæ eſum interdixerit DEus, cujus tamen prohibitionis aliam ex *Procopio Gazæo* ad Levit. c. 11. rationem adducit idem omni laude dignus *Voſſius* & aliam *Wolfgangus Frantzius* p. 1. de Anim. Sacr. c. 26. De Ibide in Ægypto *Solinus* c. 32. ait: Ore pariunt. *Ammianus Marcellinus* l. 22. aves has per roſtra edere fœtus accepit. De Corvis quoque apud *Plinium* l. 10. c. 12. ore parere aut coire vulgus arbitratur: ideoque gravidas, ſi ederint corvinum ovum, per os partum reddere, atque in

totum difficulter parere, ſi tecto inferantur. Id *Ariſtoteles* ibidem apud Plinium negat, ſed eſſe tantum illam exoſculationem, quæ ſæpe cernitur, qualis in columbis: cui Philoſopho injuriam fieri rectè demonſtrat *Cl. Salmaſius* in Exercit. Plinianis, quippe qui de muſtela ſola tradidit ex Anaxagoræ ſententia, ore parere; deinde *Solinum* contra mentem *Ariſtotelis* & *Plinii*, imò etiam vulgi facere laudatus Polyhiſtor *Salmaſius* oſtendit: Nec vulgi quidem ſententiam fuiſſe Ibes ore parere, quod non tacuiſſet *Strabo*, qui l. 17. Geogr. manſuetiſſimam eſſe Ibim prodidit, & Alexandriæ nullum non trivium eis plenum fuiſſe.

CAPUT X.

Fœtus ex umbilico excluſi.

PEr umbilicum ex ſe ruptum, vel Chirurgi manu apertum, ſubinde quoque retentum fœtum ejusve oſſicula erupiſſe, haud fallaces hiſtoriæ teſtantur, quas brevi compendio inducam, ut Ingeræ noſtræ fides illuſtrior fiat, quam eadem pasſam

ſam eſſe, ex Hiſtoria cap. 1. præmiſſa patet.

Albucaſes Chirurgus, magni inter Arabes nominis, l. 2. Chirurg. c. 76. vidit mulierem, fœtum mortuum in utero gerentem nihilominus imprægnatam, eundemque fœtum ex ſecundo conceptù genitum mortuum: huic multo tempore poſt apoſtema in umbilico accidiſſe, & inflatum eſſe, donec apertum cœpit emittere pus. Vocatus itaque ad curationem *Albucaſes*, diu ejusdem medicationi inſtitit, neque tamen ad conſolidationem ulcus deduci potuit. Itaque emplaſtra vehementia attrahentia adhibuit, quorum beneficio paucos poſt dies oſſicula prodierunt. Admiratione igitur ductus, quum ventrem oſſibus carere ſciret, rem diligentius & multifariam expendit, deprehenditque, oſſicula illa non niſi ex fœtuum mortuorum cadaveribus proveniſſe. Cauſâ itaque morbi certò cognitâ, oſſicula plurima per intervalla ex apoſtemate eduxit, muliere indies melius habente, quæ poſtmodum diu adhuc ſupervixit, ulcere ſemper nonnihil putrilaginis ex ſeſe emittente. *Matthias Cornax*, Romanorum Regis Medicus, prolixam ſed certam recitat hiſtoriam noſtræ ferè ſimilem, quam in pauca

D 2 con-

contraham. Anno 1545. quædam concivis Viennenſis nomine Margarita, filia Wolfgangi Karlinger Viennenſis, uxor Georgii Wolczeri, poſtquam etiam ante enixa eſſet aliquot liberos, concepit anno ætatis 25. omnia denique habuit ſigna felicis imprægnationis, fœtum inſuper temporis progreſſu ſenſit ante feſtum D. Bartholomæi eodem anno valentem & ſtrenuè ſeſe moventem, usque ad feſtum D. Luciæ ſacrum, quo ſanè illi tempore ſupervenerunt partus dolores adeò vehementes, ut antea experta jam ſæpius ipſa, jam jam ſe crederet enixuram. Statim igitur, advocata matre, ſorore & obſtetrice, omnibus niſibus elaboravit ad pariendum; in quibus vehementibus conatibus fragor quidam increpuit ſatis ſonorus. Ab eo fragore vivacitas fœtus deprehendi amplius nullis argumentis potuit, nihilque effectum tum datum eſt, geſtansque uterum mulier tandem per multas ſeptimanas graviſſimè decubuit, ventris tumore, duritie, fluxu, qui ſupervenerat, doloribus nihil remittentibus. Hoc inevitabili onere ſummè implicita mulier per quadriennium usque ad annum Domini 1549. ſemiviva perduravit. Interea inſuper afflicta eſt defluxu continuo putrilaginoſo, qui, per lo-
cum

cum muliebrem erumpens, totum hoc quadrienne tempus duravit. Cruciatibus igitur hiſce ac gravedinibus diu perſtantibus, tandem Natura, acore & copia putridi humoris compulſa, ad umbilicum, matricem ipſam, totum denique abdomen, multis alioquin partibus munitum, perfodit. Foramen factum eſt primo anno Domini 1548. ex quo multum ſanioſi fœtidique mucoris profluxit. Poſt aliquot menſes, adhibitis emplaſtris apertio coaluit, ſed paulo poſt anno Dn. 1549. menſe Jun. natura eodem conſilio & via, proximo in loco, non ita procul à priore apertione diſtante, per ventrem iterum perrupit, & affatim eduxit purulentiam. In hoc foraminulo exhibebatur omnium conſpectui & tactui os quoddam, quod, reſecta alvo & matrice, eventus comprobavit infantis fibulam ſiniſtri brachii fuiſſe. Duravit iterum hæc apertio eodem ſtatu & effluxu cum magna fœminæ virium proſtratione ad menſes aliquot. Cum periculi magnitudo indies ingraveſceret, vocati ſunt Chirurgi tres, Wirt, Dirlewang, Winckler, & Medici duo, Joannes Enzianer & Matthias Cornax, à quibus decretum eſt de alvo aperienda. Statuta tandem dies eſt deci-

ma menſis Novembris 1549, hora 12. pomeridiana. Linea ſectionis ducta eſt ab apertione inchoata paulo ſupra umbilicum, recta deorſum per tractum muſculi recti abdominis, longitudine plus minus octo unciarum. Qua facta inciſione ſubito contentum in utero à Chirurgo undique liberatum eſt, & exemptus fruſtulatim fœtus maſculus emortuus & ſemiputridus. Secutus eſt hanc extractionem fœtor incredibilis, adeò enim putredo invaluerat, ut bona pars membrorum pueri conſumpta appareret, caput verò totum confractum, & oſſa cranii diſperſa extraherentur. Abſoluta hac ſectione, mulier feliciter curata eſt. Eandem hiſtoriam fuſius repetunt *Marcellus Donatus* l. 4. Hiſt. Med. mir. c. 22. *Bauhinus* in Append. ad Roſſetum, *Schenckius* l. 4. Obſ. Med. & *Hildanus* in Reſp. ad Doringium, datâ occaſione matronæ cujusdam Burgundæ, cui anno 1609. fœtus putridus per umbilicum exciſus fuit operâ *Joannis Marchandeti* Chirurgi Salinenſis.

Vincentius Alſarius Crucius Cent. 2. de Quæſ. per Epiſt. p. 169, ſuam huc ſymbolam confert; nam dum eſſet Venetiis, convocarunt eum alii Medici ad Xenodochium S. S. Joannis & Pauli, ubi jacebat mulier,

Digitized by Google

mulier, cui fœtus in utero ex caſu ab alto mortuus jam & putrefactus erat, cujus expulſionem natura quoquoverſum aggreſſa, circa umbilicum tumor extuberari viſus dicitur, ut Chirurgi de abſceſſu ſub rectis abdominis muſculis latitante vererentur, & poſt quædam topica emolliendi & maturandi vi prædita, tumens locus dum ferro aperitur, poſt ſanguinolentam & putridam materiam, oſſicula quædam prodire viſa, quæ dubiam rem propalabant; extracto maxima cum omnium admiratione ab ea parte fœtu jam pridem emortuo, & purulento, uteroque ipſo rurſus ad unitatem redacto, & muliere non valde poſt inde incolumi egreſſa.

Illuſtre eſt exemplum, quod memoriæ poſterorum reliquit *Franciſcus Roſſetus* de Part. Cæſar. Sect. 4. c. 5. hiſt. 5. In ſuburbiis Sullianis ad Ligerim Margarita Prevoſt, Petri Doreti molitoris uxor, cum certo gravida eſſet, & tamen tempore partus eniti non poſſet, quomodocunque à mulieribus ipſi ſuccurreretur, ſenſim in graviſſimum incidit morbum, ut tandem venter adeò extenderetur propter fœtum & ipſius tunicas putreſcentes, ita ut, præter totius abdominis tumorem,

 octavo,

Digitized by Google

octavo, nonove menſe circa regionem umbilici peculiaris tumor, valdè elatus, obortus ſit, ſimilis abſceſſui molli rubro, ut jam ad apertionem maturus videretur. Quare abſceſſus hic anno 1550. die Nativitatis Chriſti ab Iterio Galmeto, ejus loci Chirurgo, cauterio actuali apertus fuit, qui puris incredibilem quantitatem ſcutellis exemit: altera verò die, cum vulneris rationem eſſet habiturus, qualesnam eſſent pili, qui circa vulnus conſpiciebantur, inquirere voluit, quare fœtus caput jam putreſcens eſſe reperit, quod tum per vulnus dilatatum extraxit, cum reliqua cadaveris parte, fœmineum ſexum referente, attamen brevi temporis ſpatio convaluit. In hoc exemplo manus artificis naturæ defectum ſupplevit, viamque à natura monſtratam patefecit. Ex utero verò ad umbilicum matris patere ſubinde tranſitum, ut intra nativitatis noſtræ terminos me contineam, teſtimonio *Hollerii* l. 1. de Morb. Intern. firmatur, qui refert mulierem quandam Lutetiæ, cum utero geſtaret, fœtum diebus quindecim, antequam in lucem ederetur, brachium per umbilicum matris extenſum habuiſſe, & tamen nihilominus ipſam una cum fœtu ſuperſtitem remanſiſſe. Huc ſpectat & illa

illa hiſtoria, quam ex D. *Bunoto*, Medico Illuſtriſſimæ Principiſſæ Borboniæ, *Roſſetus* Hiſt. 6. reſcivit: fuiſſe nempe Feriæ in Picardia juvencam ægrotam, pallidam, proſtratis viribus, tumentem, tantisque doloribus divexatam, ut nec, quis morbus eſſet, noſceretur, nec ſpes ulla ſalutis ſupereſſet. Obſtetrices autem Principis laudatæ juſſu, rem uti ſe habebat, pateſeciſſe; nimirum ægrotam, quæ virgo cenſebatur, fœtum adultum & à longo tempore mortuum & putridum utero geſtare, ita ut oſſa, utero perforato, ad latus umbilici conſpicerentur: ex quo loco ipſam Principem oſſa aliquot extrahi & copioſiſſimum pus fœtidum emanans vidiſſe. Veſicula in latere umbilici alibi enata, eaque pertuſa & perrupta cum pure oſſa, carnesque putridas infantum expulit. Videndæ hiſtoriæ paſſim obviæ, inprimis concubinæ ſacerdotis cujusdam apud *Platerum* l. 1. Obſ. de Parc. defect. aliæque apud *Bauhinum* in App. ad Roſſ. hiſt. 6. & 7. *Lud. Gujonum* l. 5. de Pulchr. & San. corp. c. 25.

CAPUT XI.

Embryones ex Tuba Uteri erumpentes, ubi & de Fœtu Muſſipontano diſſeritur.

EMbryones ex Tubis uteri in cavitatem abdominis exire, ſuſpicio mihi prima orta ex fœtu Muſſipontano, qui extra uterum inteſtinis & omento incumbens fertur repertus, utero prorſus integro, nulloque cicatricis veſtigio ſuperſtite. Nam quia, præter uterum conſuetum, nonnunquam etiam Tubæ Uteri fœtus humanos concipiunt, quod variis exemplis alibi probavi, inprimis teſtimonio *Jo. Riolani* l. 2. Anthrop. c. 35. quatuor fœtuum ex tubis uteri exſectorum; probabile inde mihi viſum fuit, ſi quidem uteri ruptura nusquam comparuit, Tubas uteri conceptum fœtum, maturum jam & loci anguſtia laborantem, vi naturæ & fœtus ruptas, in abdomen vicinum eructaſſe, quam conjecturam prolixa Epiſtola expoſui ad Virum amicitia intimiori & eruditione mihi æſtimandum *Jo. Dan. Horſtium*, in quam ſententiam quoque ve-

venit Vir Clariſſimus *Antonius Deuſingius* in erudita Conſideratione hujus argumenti. De uteri rupturâ facilior eſſet conſenſus, ſi ejusdem læſi cicatrix ulla fuiſſet relicta. Careret tum res difficultate omni, quia præeuntes habemus eos, quibus tutò fidimus. Primus eſt *Hildanus*, alter *Fauſſius*, uterque probatæ in arte noſtra fidei, ne alios ad hanc paginam advocem ſimilium obſervatores. *Hildanus*, ſicut refert *Cent. I. Obſ. Chir.* 64. anno 1593. 21. Aprilis, Coloniæ præſentibus Clariſſimis & Doctiſſ. *Johanne Slotano* & *Henrico Palantio* M. DD. diſſecuit aurificis uxorem, habitantem in platea quæ appellatur larda, ex partu mortuam. Comperta eſt matrix, erumpente infante lacerata, ejusque caput in lævam ventris capacitatem demiſſum, in utero extante ſolo lævo brachio, quod propendebat. Notandum verò ad confirmationem illorum, quæ ſupra de cauſis impediti partus diximus, ex relatione obſtetricis & aliarum matronarum, quæ in parturientis agone adfuerant, anguſtiſſimi oris matricem fœminæ illius fuiſſe, ut magnus fœtus, quanquam robuſtus, per viam anguſtam erumpere non potuerit.

Jo. Caſp. Fauſſius, in Epiſt. ad Cl. *Straus-*

Strauſſium, magno judicio & Coi gravitate negat, rarum eſſe rupto utero fœtum in ventris ſpatium illabi. Præter alia enim exempla biennium eſſe, ex quo mulier valens & vegeta, quatuor ante partum ſeptimanis, prona & in genua cadens, ſonum quendam in ventre, tanquam crepaturam audiverit, ſtatimque reliquo geſtationis tempore ſolito triſtior, ponderoſior & pallidior fuerit. Comediſſe tamen, dormiviſſe, cæteraque ſanorum hominum munia obiiſſe, de pondere potius interdum quam de dolore ventris conqueſtam. Præfixo partus tempore, dolores ſenſiſſe, ſed fruſtra, ac tandem eâ extinctâ & apertâ abſolutiſſimum fœtum in ſanguine materno in medio abdomine nataſſe, nulla putredine infectum aut fœtore gravem: ſanguinem quoque rubentem non grumoſum aut cadaveroſum, verum in longas quasdam ſtrias aut lacinias concreſcere incepiſſe. Uteri disrupti corpus duos transverſos digitos craſſum hiatu pulchrè pomum granatum, ut depingi ſolet, repræſentaſſe. Epitaphium huic ſuæ viciniæ ſcripſit laudatus *Fauſſius*, in quo ingenioſa hæc verba leguntur: *III. ſeptimanarum ſpatio viva mortem circumtulit, eandemque ſibi & fœtui maſculo (quem non re-*
cluſa

cluſa matrice in hunc mundum, ſed eadem diſrupta in ſe ipſam edidit) *innocens peperit die 26. Apr.* 1657. Addo his tertium, pari fide & fama, *Veſlingium*, qui Syntag. Anat. c. 7. concedit, ex uteri ruptura fœtum nunc caput, nunc pedes manusve, qua data via eſt, in abdomen exſerere, nunc toto corpore maternis inteſtinis incumbere. Plura alia teſtimonia uteri rupti ſuppeditant paſſim conſulti authores, ab hoc loco aliena, quum rupturæ nullum in utero indicium cicatrix reliquerit Muſſipontanæ, & diu ſuperſtes vixiſſe narretur. Eadem ratione inductus, nunquam credidi Ingeræ gemellos uterum perrupiſſe, antequam per lentam apoſtematis viam, exulcerato utero, per proximas partes elaberentur ex corpore.

Ut de Fœtu Muſſipontano quid ſentiam curioſis pateat, ſubjungam Epiſtolam meam ad celeberrimum *Jo. Dan. Horſtium* ſcriptam, cujus nuper mentio facta:

Commodè per tabellarium allatæ literæ tuæ moleſtias ſolantur & Caſum ſtupendum *De Fœtu extra uterum mulieris Muſſipontanæ in abdomine retento, tandemque lapideſcente* proponunt expendendum. Multum tibi, Vir Magne, debeo, quod

Rararum

Rararum Obſervationum particeps reddar, plus tamen, quod meo aliquid tribuas judicio. Digna profectò eſt Hiſtoria, cui aliquot horæ impendantur, & ægrè fero, quod, aliis diſtractus, accurata lance ſingula in præſenti non poſſim expendere. Neque tamen ultèrius amicum reſponſum differam, ne vel in officio ſegnitiem vel in judicando tarditatem incuſes, quum moræ culpam luere debeat tabellarius, qui 9. Sept. 1660. exaratas tuas literas, heri primum Cal. Novembr. ad manus meas detulerit. Quidquid ſit, quicquid in mentem venerit de inaudito ferè caſu, paucis aperiam, ut tibi, cui nihil denego, morem geram. Principio de Hiſtoriæ veritate conſtare debet, quam ſuſpectam non pauca reddunt, niſi aliis fide dignis evincatur teſtibus. Temerè monſtroſis Obſervationibus, quæ vim conſuetæ naturæ inferunt, non credimus, quia ſæpe nos otioſa ingenia & faceta deludunt, nonnunquam & lucri ſpe multa finguntur, quæ nusquam neque picta fuerunt, neque ſcripta, non rarò quoque inventis & viſis aliquid ſive ex ingenio additur, ſive ex ignorantia. Author Hiſtoriæ tacetur, cujus authoritati plurimum tribuimus, & idonei deficiunt teſtes. Si Medicorum Almæ

Almæ Univerſitatis Pontimuſſanæ narrationem, & ipſius Decani Domini Pillement, per amicum procuraveris, de rei veritate ſecuriores reddemur. Interim ex uſu fuiſſet, ſi mulieris iſtius ſexagenariæ conditiones accuratius expreſſiſſet Hiſtoria: Quot nempe liberos in conjugio olim peperiſſet, & qua facilitate, quibusve ſymptomatis: An conjuge orbata integræ ſemper fuerit famæ: Quando menſium fluxus ſubſtiterit: An vivente marito gravidam ſe putaverit ſenſeritque, an eo defuncto geſtationis hujus dolores inuſitatos ſit experta. In fœtus quoque Hiſtoria deſideramus diligentiorem manuum pedumque deſcriptionem, oſſium, umbilici faciem &c. Non aſſequor ſymptomatum, de quibus mulier apud Medicos dicitur conqueſta, rationes. Ex ponderoſo onere & permoleſto, tribus infra umbilicum digitis, injuſſæ alvi dejectiones, & invitus plerumque urinæ fluxus, imò & ipſius ani procidentia ſequuta memoratur. Certè contraria his debuiſſent accidentia ſuccedere. A mole enim compreſſum inteſtinum rectum, ſiſtit alvum, & quanquam in prægnantibus compreſſa veſica ad frequentiorem excretionem ſollicitetur, tamen eſt invita.

Poſt

Poſt partum ſæpe ani procidentiam obſervamus, ſed in prægnantibus fœtus grandior ſi non poſſit inteſtinum loco ſuo movere, & pellere, quæ cauſa fingi poteſt, cur moles hæc & pondere minor & magnitudine alvum protruſerit? Qua parte abdominis hæſerit fœtus, non ſatis exprimitur. Si tribus infra umbilicum digitis ſitus erat, parvo intervallo diſtabat ab utero; quod monendum fuerat, ut conſenſus cum utero clarius innoteſceret, & reliqua ad uterum ſpectantia & conceptionem deſignarentur. Vincula, quibus moles hæc pendula alligabatur, ex lateribus peritonæi feruntur orta, ſed an nervoſa fuerint, vel carnoſa, vel denique venoſa, non addit, an cum uteri lateribus commercium habuerint. Membra ipſa fœtus nullis intervallis diſtincta aſſeruntur, & ita cum reliquo corpore coaluiſſe, ut inſpicientium aciem oculosque propemodum ſubterfugerint. An id vi lapidificæ tribuendum, quum formatrix non ſit culpanda? Mirum autem mihi videtur, quomodo in lapideam duritiem dicatur converſus fœtus, & tamen diſſectoribus patuerit cerebri apertio, & viſcerum medii infimique ventris inſpectio. Præterea tam accuratè cerebri ſubſtantiam & tunicas

cas ſector cum corde &c. ſeparavit, ut etiam tenellum uterum pro ſexus argumento extraxerit: integer tamen adhuc ſervatur in Authoris pharmacopœa domeſtica. Eximendi nobis ſunt hi ſcrupuli prius, quam narratis plenam fidem mutuemur. Si producti fuiſſent teſtes, pro vera hypotheſin acciperem. Jam liberè dubitamus, quia ex incerto authore fama fit incerta & dubia fides. Quanquam pronuper Pariſiis ſcripſerit Illuſtris Comes Digbæus, ſe fœtum illum vidiſſe, tamen anſa dubitandi relinquitur, quia fœtum ex abdomine exſectum ipſe Comes ſuis oculis non vidit; plenum alioqui tanto Viro conſenſum deberemus. Cur ſex luſtris majorem molem non produxerit Natura nunquam ocioſa, dictu difficile, quum elephas citius increſcat, & arcanas lactearum vias agnoſcat Author ad latentis fœtus nutritionem; vel enim perfectum fœtum molitur Natura, vel, ſi impar ſit, ad putredinem devolvit. Sed putredinem ſalinus ſpiritus arcuit, quo lapideum corpus emerſit, quod in Lithopædio Senonenſi vidimus. In Auguſto Sereniſſimi Regis noſtris muſæo, Lithopædium illud contrectantes, nullam interiorum fabricam potuimus ſcrutari, quia ſaxea ſoliditate univerſum corpus infantile

 indu-

Digitized by Google

induruerat. Mirum dictu, quod in fœtu Muſſipontano lapideæ partes externæ fuerint, & tamen internæ cultro Anatomico patuerint. Obtuſius mihi ingenium eſt, quam ut iſta capiam, niſi clarius mentem ſuam aperiant, qui præſentes fuerunt Medici vel Chirurgi periti, qui ſciunt quid diſtent æra lupinis. Alii enim ſpectatores, ex rerum imperitia, ſubinde Naturæ addunt, finguntque & in vulgus diſſeminant, quæ à Natura prorſus ſunt aliena, cujus hiſce diebus in urbe noſtra habuimus exemplum. Uxor civis Hafnienſis primarii prolem feliciter enititur, & lochia copioſius profluxere ad diem quartum decimum, quo horrore corripitur puerpera & novis parturientium doloribus. Accerſitur denuò obſtetrix, & ad novum partum, ſeu ſuperfœtationem, omnes attonitæ mulieres præſentes excipiendam accinguntur. Mox ingentibus conatibus excluduntur molæ duæ, quibus diſſectis veſtigia duorum fœtuum comparent & mulieribus imponunt, quæ per urbem univerſam eliminant duos fœtus, ſuis involucris contentos, eſſe editos. Forte advocatus aderat *D. Paulus Moth*, Regius Archiater, amicus noſter integerrimus, qui exclusas molas curioſius examinans, ſparſam

famam

ſamam emendavit, viditque non fœtum ullum involvi, ſed in mola nervoſas fibrillas, in molis aliàs uſitatas, ſpeciem quandam embryonis mentiri & ignaris creduliſque mulieribus impoſuiſſe. Ita vulgi rumorem correxit periti Viri & in hiſce ſacris verſati obſervatio. Non negamus dari ſuperfœtationes, quarum exempla ſuppeditavit *Bauhinus* Append. 6. ad Roſſet. nec in patria deſunt. Nobilis enim matrona pluſculis abhinc annis poſt primum partum maſculæ prolis, quarta hebdomade alterum enitebatur vitalem, & utrumque diu ſatis ſuperſtitem, uno eodemque nomine inſignitum. Molas, interjectis aliquot diebus partum verum ſubſequutas, ipſe vidi. At hic judicio non vulgi ſtandum, non muliercularum, ſed Medici in artis operibus exercitati & veri Naturæ interpretis. Hinc mentem meam ſubiit cogitatio, fœtum Muſſipontanum ſpecie ſui quadam ſpectatoribus impoſuiſſe, niſi aliter à Medicis præſentibus fuero edoctus. Tumoris anomali ſpecies eſſe potuit, humanæ perſimilis. Iſtorum tumorum tanta eſt varietas, ut illis enumerandis ne *Severinus* ipſe in præclaro Opere ſuffecerit. Ætas mulieris ſi conſideretur, annum ſexageſimum prætervecta, ſi cælebs tot an-
 norum

norum vita expendatur, certè conceptui erit inidonea, ſed apta tumoribus ob menſtrui fluxus defectum & ſenilis colluviei collectionem. Ipſe locus accommodus excipiendis ad abſceſſus anomalos impuritatibus. Ex Hiſtorica relatione, hæc moles adacto omentum usque ſcalpello emerſit in ſentina corporis. In omenti glandulis ſæpiſſimè tumores invenimus. Magnum omenti tumorem ſcirrhoſum deſcribit Joh. Huld. Streiterus Epiſt. ad GREG. HORSTIUM, Magnum Tuum progenitorem, Sect. 11. pag. 453. Ego nuperis annis curationi Nobiliſſimæ Matronæ viduæ ſexagenariæ Hydropicæ interfui, cujus abdomen tandem medicamentorum ope ſubſedit, ſed remanente tumore quodam, ovi anſerini magnitudine, duriuſculo, qui modò in dextro hypochondrio modò ſiniſtro tangebatur pro vario ægræ ſitu, quem exiſtimavi non vanâ conjecturâ in glandula omenti reſidere ex reliquiis morbi magno nobilis ægræ commodo. Tumorum varia eſt & forma & materia. Sunt quippe ſanguinei, carnei, adipoſi, piloſi, verminoſi, lapidoſi, oſſei, pro varia contentorum ratione. In figura tanta naſcitur differentia, ut rudem fœtus imaginem exprimi & à vulgo æſtimari, mirum non ſit. Corporis humani par-

partes paſſim in lapidibus, plantis, conchyliis, à Natura effinguntur, in nonnullis totus homo. Mandragoræ radix homunculum refert, ſicut diſſecta filicis radix aquilam. Juglans cerebri humani gyros, membranas, ventriculos exprimit, quod etiam nux moſchata obſcurius imitatur. Teſticuli in ſatyrione repræſentantur, pulmones in pulmonaria, renes in aſaro. Vidi ſilices in externam hominis figuram quaſi arte tornatos. Hominem ſiliceum mammas tenus in Muſæo ſuo habuit beatus noſter *Wormius*, deſcripſitque in Hiſt. Nat. l. 1. Sect. 2. cap. 13. exactè referentem caput, collum, humeros, pectoris ſumma, oculos & naſi protuberantiam, ſcapulas ac colli muſculos. Referente *G. Agricola* l. 7. Nat. Foſſil. cap. 5. Conſtantinopoli in Sapientiæ Templo ſunt duæ candidi marmoris diſſecti cruſtæ, quarum utriusque maculæ, nonnihil cinerei coloris, ita ſponte naturæ diſcurrunt, ut totam D. Johannis Baptiſtæ, veſtiti tergore cameli, imaginem repræſentent. In Miſnia Monachi faciem habitumque in lapide repertum ferunt, quum Lutherus reformandæ Eccleſiæ incumberet, ſicut in aliis haleces, & in meo ſerpens viſitur. Ad partes ſi deſcendamus, eæ paſſim in lapi-

Digitized by Google

dibus à Natura exſculptæ ſunt. Cor enim aliqui referunt, alii renes, lienem, linguam, pedes. Scribit *Baptiſta Fulg.* lib. Collect. c. de gemm. & Lapid. natur. ſculptis, quod in agro Placentino ſuo tempore lapis Alabaſtrites inventus ſit, in quo figura apparuit capitis humani mortui, quem hoc nomine laudat *Chaſſanæus* Cat. Glor. Mund. part. 12. Conſ. 91. *Plinio* ſi credimus l. 37. c. 10. Diphris, ſive Diphyes, ut legunt *Geſnerus* & *Agricola*, genitale utriusque ſexus monſtrat. Priapolithos prope urbem Caſtrenſem repperit *P. Borellus* Cent. 3. Obſ. 85. Quid de tuo Hyſterolitho dicam, quem tuo beneficio apud Magnum noſtrum *Wormium* olim vidi, deſcribuntque *Boëtius* de Gemm. & Lap. c. 225. *Geſnerus*, *Agricola*, *de Laet* l. 2. de Gemm. cap. 15. & figuram *Beſlerus* in Gazophylacio Rer. Nat. addit, ſed accuratius *Wormius* l. 1. Muſ. Sect. 2. cap. 13. tuo ipſius dono. Muliebre pudendum exactè monſtrat, ſicut & concharum quædam genera, paſſim obvia. Ea ratione etiam in tumoribus anomalis corporis noſtri variæ figuræ poſſunt imprimi ad humanam ſimilitudinem. Caput infantile, oculis, naſo & ore diſtinctum propendens puellæ noſtræ tumor

tumor æmula ſpecie referebat, cujus hiſtoriam Cent. 1. Hiſt. 6. ſignavimus. Steatomata varia ex morbidis extraximus, variâ figurâ. Carcinomata quoque inæquali protuberantia diverſam faciem oſtendunt, præſertim exulcerata Extirpavimus anno ſuperiori ex abdomine fœminæ honeſtæ carcinoma, capiti infantis haud abſimile. Nolo tamen has ſuſpiciones tibi, inclyte Horſti, pro veris commendare. Documento tantum ſint, temere non eſſe recipienda, quæ ſine idoneis teſtibus inter vulgus ſparguntur, quum multa ſint, quæ ſimilitudine & ſpecie humanâ prima fronte mortales deludant. Indicta hæc volo, ſi vera narraverit fama, ſi verum fœtum exſectum fuiſſe vel Tu, in his lynceus, vel fide dignus alius perſuaſerit.

Credamus interea Hiſtoriam veram eſſe, ne nobis indignetur Enarrator, & quia externæ & internæ fœtus partes ordine ſuo recenſentur; ponamus iſtam ſuppoſitionem, ut ad veram cauſam inveſtigandam accingamur. Ex Hiſtorica narratione moles, cui fœtus includebatur, inter peritonæum & inteſtina tenuia in infimo hypogaſtrio reperta eſt pendula, quatuor firmiſſimis vinculis ex peritonæo ortis ſu-

Digitized by Google

ſpenſa, quinto verò tenacius inteſtinis tenuioribus, quibus incumbit, annexa, adeò ut extra uterum prorſus alieno loco fuerit collocata, & uterus ipſe matri illæſus intactusque dicitur, nullo obductæ cicatricis veſtigio. Uteri verò vicarias operas ſupplevit ipſius molis involucrum duriſſimum, quod bubuli ventriculi tunicas colore referebat & craſſitie. Hinc tres oriuntur difficultates enodandæ, tuoque judicio limato ſubmittendæ. Prima, An extra uterum conſuetum conceptio fieri poſſit & fœtus conformatio. Deinde, quia ſine ſemine virili nusquam fit conceptus, ubicunque denique fiat, qua via ad vacuum ventris pervenerit. Denique, quo artificio ſe per ſex luſtra in novo hoc utero ſine putredine conſervaverit, & ſine ulteriore ſui augmento. Primum quod ſpectat, quanquam ad communem generationis normam uterus ſit neceſſarius, tamen & illius vices aliæ partes ſupplent, quæ vel cavitate idonea, vel ſufficiente calore præditæ ſunt. Uterus ordinaria Naturæ lege huic officio deſtinatur, ob commoditatem & ſeminis recipiendi & fœtus nutriendi & excludendi, non quod aliis partibus ea vis denegetur, ſi tam commodo eſſent loco ſitæ. Uterus, præ-
ter

ter calorem foventem & locum aptum, ad generationem nihil confert, ſicut nec ovi teſta ad pulli conformationem. Semini vis formatrix ineſt, quæ externo quocunque calore adjuvanda eſt, & commodo munienda receptaculo. Carteſiani ſolo calore id fieri credunt, quo ſeminis particulæ agitatæ ob ſuas figuras neceſſariò in germen animalis abeunt, eo modo quo ex oblongis ſalis particulis in aqua vi caloris agitatis & inter ſe conjunctis variæ ſalium, ſtirpiumque imagines efformantur, quemadmodum commentatur *Henr. Regius* Fundam. Phyſ. cap. 10. Igitur alius quicunque locus capax & calore tepens, ad fœtus conformationem aptus eſſe poteſt, quanquam non ad excluſionem, unde ita ordinaria naturæ voluntate ſtatutum eſt, ut eo plerumque loco concipiatur fœtus, quo commode non ſolum conformatur, ſed & excluditur. Certè, ſi penitius Naturam inſpiciamus, omnes particulæ corporis noſtri in ſe habent generationis principium & locum, & in ſe generant quotidie, ut meritò olim quis dubitaverit idemne eſſet adultus, qui puer fuerat. Apud *Salmuthum* Cent. 3. Obſ. 94. ex nefando & igne expiando congreſſu juvencula fœmina per os infantem enite-

 ba-

Digitized by Google

batur, ſine dubio in ventriculo conceptum & efformatum, ſed, quia diu moram ibi trahere non potuit, ob ventriculi motum & aſſumptorum impedimenta, digiti longitudinem non exceſſit infans, & maximis doloribus, ſummoque vitæ periculo partus fuit. Hujus quidem Hiſtoriæ veritatem impugnat *Ludovicus Keplerus*, Vir Doctiſſimus & meliore fortuna dignus, in diſſertatione de Baſiliſco, quam præſens mihi nuper in tranſcurſu oſtendit. Sed teſtatur *Salmuth*, ſe ex literis Joannis Komeleri, in Conſulis illius civitatis, ubi hæc acta, ædibus tum degentis, ut oculati & fide digni teſtis, ad Gothofredum Hoffmannum affinem & Compatrem ſuum datis, hæc deſcripſiſſe. Pro nutritione & augmento exili, vaſa ventriculi ſufficiebant, vel ipſe vicinus chylus. Nec novum eſt in ventriculo, quanquam continuo aſſumptorum motu abluatur, tamen & apoſtemata, tumores &c. coacervari, ſuiſque pelliculis includi. Tophi cortice duro ſed ſubſtantia piloſa in animalibus conflantur, & diu in ventriculo aſſervantur, de quorum generatione erudite nuper ſcripſit in Ægagropilis *Georg. Hier. Velſchius*. De Bezoar *Bauhini* diligentiam jam dudum orbis ſuſpexit. Ex bovino ven-

ventriculo tophum mali granati magnitudine poſſideo. In Islandici arietis ventriculo 50 hujusmodi reperti, ovo columbino æquales, quorum aliquot in Pinacotheca ſervo. Folliculos vermium ibidem obſervavi in bobus, porcis &c. Nec abſimilia in homine notata *Quercetano* in demonſtr. Hermet. Med. cap. 5. J. *Jac. Crafftio* ad Hild. Cent. 2. Obſ. 71. *Panarolo* Cent. 1. Obſ. 41. Calculos plures quam 30 fundo ventriculi pertinaciſſimè adhærentes extraxit *Joh. Bilgerus* in Epiſt. ad Clariſſimum Tuum *Parentem* Sect. 11. pag. 456. Et ego ſilices, & benè multos & ſatis grandes, ex ventriculo agni exemptos habeo. Igitur alienas res ſibi concreditas & ventriculus cuſtodit, & vel ſuis tunicis claudit, vel propria cujusque rei membrana involvit. Tophis ſeu pilorum faſciculis cruſtam duram obducit. Cur ſemen æquè hic atque in utero non exſtrueret ſibi domicilium ſeu ſecundas membranas? In brutis neſcio an hujus extet exemplum. Frater tamen meus amantiſſimus, *M. Albertus Bartholinus*, non ita pridem mihi narravit de fele quadam, quæ in prædio Arcis Regiæ Fridericiburgenſis ſuos fœtus evomuit, ſummâ adſtantium admiratione; qui ſanctè affirma-

ma-

marunt, felem nihil prius devoraſſe, nec alia via rejeciſſe. In inteſtinis ova concipi & exinde excludi, extra dubium eſt, ſiquidem vera ſunt, quæ de ovis galli multorum experientiâ & fide referuntur. Ego propius ad uteri devolvor regionem, in cujus vicinia fœtus Muſſipontanus inventus. Extra hunc uterum aliàs, ſed vicino loco, nempe in vaſis ſpermaticis juxta fundum, molam genitam vidit *Marquardus* in Empir. Pract. In Tuba uteri, cujus eadem ferè cum utero ſubſtantia, concipitur fœtus. Quatuor exempla recitat *Riolanus* l. 2. Anthrop. cap. 35. fœtuum ex tubis uteri exſectorum, digna quæ pro fœtu Muſſipontano adducantur tanquam veriſſima, tot Medicorum & Chirurgorum Gallorum teſtimoniis probata, de quibus neminem dubitare vult *Riolanus*, Veteranus Anatomicus & tardæ aliàs fidei. Semen autem virile exiſtimat per anfractuoſos vaſorum ductus tubam intraſſe. *Veſalio* l. 5. Fabric. Hum. cap. 15. tenuior eſt uteri tunica qua in cornua ſua deſinit. Certè, in tubis uteri ſemen maſculum quotidiè recipi, vero mihi fit ſimile, ibique præparari, unde fit, ut primo menſe in utero, ex obſervatione *Harvei*, nihil compareat, quum revera ad conce-

ptionem

ptionem concurrat, nec prorſus ſtatim evaneſcat in auras, ſed ad tempus ibi deliteſcat, ut cum fœmineo miſceatur uniaturque. Hinc, quando regreſſus denegatur quacunque obſtructionis cauſa, in Tubis hiſce mole dilatatis fit conceptus, ſed quia in tantam capacitatem ampliari non poſſunt ſuâ naturâ teretes & anguſtæ, niſi raro naturæ robore, quod de hydropica narrat *Tulpius* l. 4. Obſ. cap. 44. vel exiles fœtus generantur & imperfecti, vel incredibilibus doloribus ex membranarum diſtenſione matri mors infertur, vel, ſi mater ferendo eſt, ruptis cornuum tunicis ampliorem locum in cavitate abdominis fœtus eligunt. Habes, mi Horsti, meam conjecturam, ut conſtet, quomodo fœtus ille inter peritonæum & inteſtina pervenerit. Quanquam enim ſemini maſculo ille inſit fervor, ut vaporum ſpecie ſpiritus quocunque feratur; tamen, quia nulla tum foret ratio, cur non in capite quoque & corde verus fieret conceptus, malo manifeſtis viis & certâ conjecturâ probatis inſiſtere. Credo igitur, ex ſemine conceptum fuiſſe in Tuba Uteri fœtum Muſſipontanum, eumque grandiorem perrupiſſe canalem anguſtum & in proximam abdominis cavitatem projectum. Ut id
firmius

firmius concedamus, uterus intercedit, qui prorſus dicitur intactus ſine ullo cicatricis veſtigio. At ruptura tubæ adverti forſan potuiſſet, ſi eo diſſectoris curioſitas deſcendiſſet, vel certè cicatricis manifeſtum veſtigium. Molitur ſubinde alium huicque haud abſimilem ex utero exitum Natura, ut mirum nullum ſit, ſi ex anguſtis Tubarum carceribus ſe extricare conetur fœtus. *Hildanus* Cent. 1. Obſ. 64. diſſecuit aurificis uxorem, in qua matrix, erumpente infante lacerata, ejusque caput in lævam ventris capacitatem demiſſum. Ex hac uteri mixtura fœtum nunc caput, nunc pedes manusve, qua data via eſt, in abdomen exſerere, nunc toto corpore maternis inteſtinis incumbere, concedit *Veſlingius* Synt. Anat. cap. 7. Interdum foras per apoſtema prorumpunt oſſeæ particulæ, ex umbilico, quod vidit *Albucaſis* l. 2. Chir. cap. 76. *Marcellus Donatus* l. 4. Hiſt. Med. Mir. cap. 22. ex ano, teſte *Marſilio Cagnato* l. 4. Var. Obſerv. cap. 9. *Jo. Langio*, Lib. 2. Epiſt. Med. 39. Itaque, quum ex tubis evaſiſſet fœtus Muſſipontanus, ſuo adhuc involucro tutus & tectus, ad proximam inteſtinorum regionem alligatus eſt ea vi qua atheromata, ſteatomata &c. par-

partibus ſæpe affiguntur. Majus verò miſera mater pondus ſenſiſſet, ſi ad juſtum incrementum perveniſſet, jam enim magnis doloribus vel per apoſtema viam ſibi præparaſſet, vel cum matre fuiſſet ſuffocatus. At verò, ſive nutrimenti defectu ſufficientis per lactearum inopiam & obſtructionem, ſive loci penuria compreſſus, ad magnitudinem conſuetam debitamque non pervenit. Quod putredinem evaſerit, ſalinis ſpiritibus imputandum, quibus induruit & ſiccato corpore incorruptum perſtitit. Nolo cauſas petrificationis retexere, quas dato ſtudio pertexuerunt qui in Lithopædio deſcribendo deſudarunt, laudati nobis Cent. 2. Hiſt. 100. Nec opus noctuas Athenas, aut apud Te de his prolixius nugari. Calculos non tantum in quavis corporis parte generari plures demonſtrarunt, inprimis *M. Donatus* l. 4. cap. 30. & plures tales vidimus, etiam ex corde Cervi Norwegici extractus nuper lapis ponderoſior in Muſæo Auguſti Regis noſtri ſuſpenditur: Sed quod mirabilius, ipſæ partes in ſaxum converſæ leguntur, nonnunquam tota compages. De his alibi actum. Unum præterire non poſſum, de quo ſententiam tuam exquiro. Nuperis annis ex Suecia nobis

nobis relatum fuit, bovis cerebrum univerſum in lapidem mutatum eſſe, quod illo mactato demum deprehenſum, quum antea prono ſemper & inclinato capite in paſcuis vix oſſibus hærens ægrè progrederetur. Dubitavi exinde, qua via ſpiritibus patuerit commeatus. At nuper quum ex obſeſſa urbe noſtrâ benevolè in caſtra Suecica eſſem invitatus ab Illuſtriſſimis Legatis & Senatoribus Dn. Schiringo Roſenhan & Dn. Stenone Bielcke, magnis Literatorum fautoribus, comperi à laudatis Viris rem, prout narrata fuerat, veram eſſe, ſervarique adhuc cranium cum incluſo cerebro lapideo in prædio quodam Oxenſtierniano, ad ſpirituum verò liberum tranſitum relicta videri hinc inde foraminula excavata, quæ per ſtramen immiſſos liquores & flatus transmittant, utque magis & crederem quæ dicebantur à fide digniſſimis, & diligentius in inuſitatæ rei cauſam inquirerem, promiſit mihi Illuſtris Bielckius vel iconem accuratam vel particulam cerebri ſaxei. Ubi promiſſis ſteterit magnus Heros, faciam ut & Tu hujus beneficii fias particeps. Interea hæc apud Te rumina, Vir Eruditiſſime, & Epiſtolæ præter ſpem prolixæ ignoſce. Currenti calamo, etiam maxi-

mè

mè occupato, ſemper aliquid offertur, ut vix ſiſti poſſit aut retardari. Facit Naturæ fœcunditas, & Tui amor, ut ad lancem verba non expendantur. De re inſolita quid dici poſſit, quidque mihi videatur, Tibi roganti amice & candide expoſui, cui plura debere velim. Et niſi jam aliis negotiis avocarer, pluribus teſtarer, quanto obſequio & officio Tibi amiciſſimo ſim obſtrictus. Vale, Vir Magne, & in Literariæ Reip. commodum & ſplendorem diu vive, noſtri memor, & ſi tempora tua permiſerint, Spicilegium ſecundum vaſorum noſtrorum Lymphaticorum quod mitto veloci oculo tuo ſed benevolo percurre. Scripſi neceſſaria celeritate. Hafniæ, 2. Nov. 1660.

CAPUT XII.

Ex Hypochondriis fœtum nonnunquam exire.

PErrupto itaque utero, non in abdomine ſubſiſtit ſemper partus, ſed hypochondria penetrans exitum quærit. Vel arte vel natura hanc ſibi pandit viam.

 Illud

Illud in ſectione Cæſarea, hoc in uteri apoſtematibus ad ventrem externum ſuppuratis. Sectioni Cæſareæ nihil operæ inſumam, quia cunctorum deſiderio ex aſſe ſatisfecerunt *Franciſcus Roſſetus*, & *Theophilus Raynaudus*, omnibusque dubiis & difficultatibus ſolutis præclaram ſervandi infantes artem vindicarunt, quam, præter infinitos alios, laudat *Scipio Mercurius*, & quotquot humanæ ſaluti benè cupiunt. Frequens ea operatio apud Gallos arte & ingenio, & manu promptos. Memini, Pariſiis cum degerem, fœminam terque quaterque feliciter ſectione Cæſarea partus ſuos enixam, quæ via naturali parere nunquam potuit. Miror patriæ noſtræ averſum ab hac ſectione animum, quo multi pereunt, qui ſervari poſſent. Nuper admodum Fridericiburgi ultimo menſe gravida ab alio juvene jugulata interiit, embryone adhuc poſt mortem matris ſe movente, qui tamen auxiliaribus Chirurgi ſecantis manibus deſtitutus diu ſupervivere in utero non potuit, atque ita periit qui ſervari potuiſſet, & ex ſimplici homicidio duplex factum, cujus culpâ, illi viderint, ad quos hæc negotia ſpectant. Silentio præterire hic nequeo, quanquam ſilentio dignum, facinus horrendum carnificis

nificis Roeſchildenſis, qui nuperis annis Holbecæ, quæ urbs quoque Selandiæ eſt, Copriani uxorem gemellos utero geſtantem occidit, quæ ſub patibulo à cohorte noctivago quum humaretur, canes accurrentes ex alvo putrida ſinguli ſuum fœtum extraxerunt, & ore hinc inde circumtulerunt, ſpectaculo horribili, cujus facinoris jam, dum hæc perituris chartis *illino*, pœnas luet carnifex incarceratus. Miſera fuit & altera nativitas ſectioni Cæſareæ ſimilis, puerili Belgici à tauro ruffo procurata, quam *Cent.* 2. *Hiſt. Anat.* 8. inſerui. Facilior omninò hic naſcendi modus periti Chirurgi manu adminiſtratus, qui noſtras fœminas terret, ſectionis iſtius ignaras, minorique dolori junctus, quum citius levi vulnere abdomen aperiatur, quam naturales partes dilacerentur. Neque uteri craſſities in gravidis ſcrupulum injicere debet, quæ tanta non eſt illa parte externa infra umbilicum, ubi ſectio fit, imò ultimis menſibus ibi tam tenuis eſt uterus illique circumtenſæ abdominis partes, ut moventium embryonis digitorum veſtigia manifeſtè & viſu & tactu non raro diſcernantur. Decantatam illam uteri in gravidis craſſitiem placenta confi-

cit uterina, quibus locis ſuperius & poſterius utero adnaſcitur.

Naturæ ſuppurantis robore ex foraminibus in hypochondrio fœtus oſſicula expreſſit Ingera noſtra, cujus cauſa de his nobis ſuſcepta ſcribendi cura. Vix ovum ovo ſimilius, quàm eſt huic noſtræ altera ab *Alexandro Benedicto* Veronenſe Medico l. 25. c. 33. his verbis annotata: Mirum obiter naturæ exemplum referam cujusdam Venetæ matronæ, quæ cum partum legitimum excluſiſſet, alter incluſus intra ventrem manſit mortuus, qui in magnis puerperæ difficultatibus tabefactus, fluore quodam profluit, ex naturalibus oris; demum ortis in ventre tribus fiſtulis, ex una, quæ omnium maxima erat, integra infantis calvaria extracta eſt, cunctis mirantibus: Deinde ſingulis diebus reliqua oſſa deſumpta ſunt. Unde mirabili naturæ ope ſanitati reſtituta eſt. Quæ porrò ad has vias pertinent, priora exempla, pariterque ea quæ ſequentur, illuſtrant.

CAPUT

CAPUT XIII.

Ex Iliis apertis nati.

ILia quoque in muliere noſtra pro oſſiculis gemellorum patuerunt. Ne via iſta pro inaudita traducatur, alios teſtes citabo. Non ita pridem mihi narrabat obſtetrix noſtra Eliſabetha Johannæa, ætate provecta & ſupra decies mille puerperiis probata, adfuiſſe ſe puerperæ Hafnienſi, præſente Medico in arte noſtrâ magni uſus D. *Joachimo Schelio*, Poliatro Hafnienſi, quæ diu in partu vexata & exercita, eniti tamen fœtum nequivit antea in utero extinctum; tandem in magno illo naturæ & puerperæ conatu, ruptum eſſe inguen ſiniſtrum, exque eo prodiiſſe fœtus particulam ſed oſſeam, reliquisque partibus per conſuetam Naturæ vim effluentibus, puerperamque exinde convaluiſſe, matrem poſtea plurimorum liberorum. Ad externa ſi divertamur, voto noſtro & inſtituto inſerviet *Achilles P. Gaſſarus* Medicus in hiſtoria ad D. *Matthiam Cornacem* miſſa, ex comitatu

Digitized by Google

Feldkirchienſi, quam ex eo contractis in paucas lineas periodis mutuabor. Muliercula quædam, cui à mariti familia Pflegerin cognomen erat, in pago Gettzig tum habitans, verè imprægnata, inſtante tandem partus tempore, præſentibus & agnatis & obſtetrice, per aliquot horas debito modo exagitata eſt. Cum autem incaſſum diutius laborare videretur, nimiis laboribus, non ſolum fœtus, illis inſciis, ſuffocaretur, ſed & mater de vita periclitaretur, tanquam deſperata relinquebatur, gallinarum juſculis per intervalla refocillata. Sic miſera illa per reliquum puerperii ſpatium curata, paulatim dolores remittere, menſtruorum tamen fluxum perſeverare ſenſit, qui deinde ceſſavit, doloresque magna ex parte evanuerunt, ut, decreſcente inſuper nonnihil uteri mole, cuncta illa ſibi proſpera ad integrum fere annum repromiſerit. Quo tamen non plenè evoluto, tumor quidam particularum in ſiniſtra inferioris ventris parte, paulo ſupra inguina apparere de novo cœpit: qui dum quotidie augeri, & demum etiam dolorem apoſtematoſum, cum cutis livore ſuperinducere pergeret, ibi mulier Chirurgi Magiſtri Nicolai Clæſi, civis Feldkirchienſis, auxilium primum invoca-

vocavit. Is abſceſſum illum jam ad humani capitis magnitudinem excreſcentem, detumefacta alvo, novacula decuſſatim diſcidit, quo facto tanta fœtidiſſimæ virulentiæ copia effluxiſſe fertur, ut præſentium nullus ſufferret. Chirurgus ulcus ſordidiſſimum mundificare & abſtergere, quousque intra pauculos dies ſemiputrida quoque ac corroſa oſſicula unà cum pure exire cœperunt: Tandem erumpentibus integris tibiarum oſſibus, poſterioribusque calvariæ fragmentis, manifeſto deprehenſum fuit, ea ipſa reliquias eſſe fœtus illius, quem mulier ante annum peperiſſe debebat. Ulcere mundificato, per ſe ad conſolidationem properavit, muliere omninò perſanata. Idem Achilles ad *Joannem Langium* quoque Lib. 2. Epiſt. Med. 39. eadem de conterranea ſua in Gœttzin teſtatur, quum diu fœtum mortuum in utero geſtaſſet, tandem hunc marcidum per apoſtema, in iliis ſuppuratione apertum, fruſtillatim ejeciſſe. Huc referenda illa Virgo, de qua S. *Hieronymus* L. 1. in Jovinian. n. 69. è cujus latere Budda Princeps dogmatis Gymnoſophiſtarum generatus dicitur, cujus opinionis autoritas apud Indiæ Gymnoſophiſtas quaſi per manus tradebatur. E latere perfoſſo id

 factum

Digitized by Google

factum retur *Raynaudus* c. 1. de Part. Cæſ. cujus tamen nullam eſſe apud ſeculi Sapientes mentionem, multò minus fidem: Certè non vulnere, ſed ulcere in latere matris facto editum fuiſſe Buddam, fide carere non poteſt, ſi quidem vera ſunt quæ in eam ſententiam hic urgemus, & *B. Hieronymus* pro vera Hiſtoria contra Paganos reſumit, ne abſonum credant ex Virgine natum Meſſiam, quia incredibilem Buddæ nativitatem ipſi Indi admiſerunt. Niſi miraculi inde fides imminuatur, quod vivus & integer ex latere matris emerſerit.

CAPUT XIV.

Ex Ano infantes excluſi.

PUdet me æſtimantem quam ſit ſordida animalium ſuperbiſſimi inter ſtercora ſedes nativa, ut, quando molliſſimè habitat, inter infimi ventris ſordes collocetur. Coaleſcit recto inteſtino uterus, & invicem non raro aperiuntur, ut inter ſe excrementa ſua communicent. Sic recto inteſtino ex corrupti uteri contactu perforato,

Digitized by Google

forato, alvi fæces per pudenda mulieris excreta obſervavit *Dodonæus* ad C. 11. Benivenii, quemadmodum & ego in pago mille paſſus ab urbe noſtra diſtante ex ſcroto ruſtici ſimilia excrementa vidi rejecta. Monuerat hoc ante *Oribaſius* l. 9. Synopſ. c. 51. & clarius *Fernelius* l. 6. Pathol. c. 15. interdum in directum inteſtinum penetrare abſceſſum, tumque fæcis nonnihil ex uteri cervice profluere. Nonnunquam prorſus rupto interſtitio unus fit meatus, quod in difficili partu alibi notavimus, & nuper in violenta extractione fœtus mortui in platea Boreali puerperæ contigit. Sic apoſtemate uteri gravidi ad inteſtinum rectum rupto, vel fœtus vel fœtus particulæ egredi poſſunt. Digna hujus rei hiſtoria extat apud *Jo. Langium* Lib. 2. Epiſt. Med. 39, de civis ex oppido Eberbach Andreæ Seidlen uxore, quæ fœtum viventem aliquot menſes in utero geſtaverat, & quum jam tempus enixus appeteret, ubera prius turgida lactis aquoſi rore maduerant ac detumuerant, puero in utero non ſubſiliente. Tandem fœtum aſſerit in matrice computruiſſe, cujus de cruribus & cerebello oſſa denigrata & carie obſita, quum mulier ob inteſtini exulcerationem alvi

Digitized by Google

profluvio laboraret, anno decimo non per vulvæ oſtiola, ſed per anum, eſſe excreta. Aliud ejusdem generis exemplum, quod Romæ contigit anno Domini 1571. ſubminiſtrat *Marſilius Cagnatus* l. 4. Obſ. Var. c. 9. à ſe adhuc tyrone & præcipuis aliquot urbis Medicis viſum. Scilicet plebeja diu quædam agrotaverat fœmina febre hectica perpetua ac debili, duroque imi ventris tumore. Unde ille eſſet tumor, non facilè inveniebatur, quando eam utero gerere nihil amplius ſuadebat. Deſperata res dicebatur. Tamen ſic inſperanti ſalus advenit, poſtquam via, qua venter dejicitur, fœtus humani carnes in fruſta diviſæ, & oſſa ſeparata, quæ tumoris illius materies fuit, ſponte naturæ exiverunt. Sepulchrum diu fuiſſe fœtui defuncto uterum, eleganter ſubnectit *Cagnatus*, priusquam naſceretur, nec potuiſſe cadaver rejici qua naturaliter debebat, aliam vel cum periculo viam eſſe à natura electam: Utero verò hunc in modum purgato, mulierem priſtinæ valetudini reſtitutam diu vixiſſe. Audiamus *Amatum Luſitanum* Cent. 2. Curat. 16. & eadem repetentem *Marcellum Donatum*: Paulla uxor Dominici Naſonis, qui in vico Pontis Merlani hoſpitium

tium exercet, cum 5 menſium fœtum mortuum diutius in utero geſtaſſet, profluente quotidie ex utero colluvie quadam ſanioſa non ſine febre, indieſque corpore marceſcente extenuatiſſimo habitu jam affecta, per ſeceſſum excernere cœpit oſſicula quædam, quæ in exitu dolorem inferentia ab ipſa deprehenſa, ac ſtercore emundata Hippolyto Geniforto Chirurgo adſervata oſtendit, qui ea intuitus puelluli oſſicula eſſe deprehendit, quod mihi aliiſque Medicis compluribus relatum, haud verum ipſe cenſui, donec mulier ipſa interrogata præſens diligentiſſimè id jurejurando affirmaſſet, in medium allatis oſſiculis pluribus, quæ roſeis foliis permixta ad ſtercoris fœtorem, quem præ ſe ferebant adhuc, tollendum obſervabat, nec deſtitit ab hujuſmodi excretione per menſes & annos, donec permulta oſſicula hujus generis extramiſit. *Balduinus Ronſſeus* Epiſt. Medicinal. I. ad Carolum Goſwinum de Maria muliere Goudana, filia Gulielmi de Vrie, ſcribit partus rempore prætermiſſo, revoluto jam anno, unà cum lotio primùm digitorum articulos excreviſſe; ac ſenſim alia majora oſſa, tibiam, radium, coſtas, & id genus alia per poſticum cum excrementis emiſiſſe; tandemque

ſecundo

ſecundo à parturitione anno, maximos ante perpeſſam labores, calvariam totam cum cubito, coſtis, & aliis aliquot oſſibus, ejeciſſe. Quod cum lotio dicitur profluxiſſe, non ex veſica ſed ipſo utero repetendum, quæ vias confundunt qui accuratè ſingula diſtinguere neſciunt, unde nec ex veſica nativitatem ullius advocavi, quia, quæ per lotium narrantur emanaſſe, de utero verius ego interpretor, ejusque orificio, cui veſicæ exitus vicinus eſt. *Roſſetus* ſect. 4. de Part. Cæſ. c. 2. hiſt. 1. & hiſt. 5. Cornac. bina exempla prodidit matricis ulceratæ pertuſæque verſus inteſtina, cum excretione oſſium infantilium, quæ ex illo repetat, cui volupe. Nos enim ex angulo hoc immundo manum ſubducere feſtinamus. Præterire tamen non poſſum *Horatium Augenium*, magnæ inter Medicos authoritatis, qui ſine tædio Lectorem detinere poteſt, etiam feſtinantem. Digna eſt hiſtoria ejus repetita ſcriptione, quam contexuit l. 2. de Part. Hom. c. 27. vel eo nomine, quod αὐτόπτης in diſſecto cadavere obſervaverit ipſum partis vitium. Do. Hieronymus Biſaccionus Patricius Æſinas uxorem duxit Ferrariæ anno 1571. Hanc ille poſt menſem compreſſit. Tum decimo

inci-

Digitized by Google

incipiente doloribus partus advenientibus, & aqua plurimum fluente deluſæ fuerunt obſtetrices, ac matronæ: Dolores illico ceſſarunt ventre adhuc tumido manente, atque ipſa magnam gravitatem ſentiente. Nullum remedium tentatum non fuit à Medicis Ferrarienſibus, ut fœtum educerent ſive vivum ſive mortuum. Tandem cum incaſſum laboraſſent, & pondus utero incumberet, movereturque ad corporis motum, anno præterito, putarunt unanimi conſenſu mulierem pati molam: pro qua educenda remedia nihil profecerunt. Sic miſera annis duobus eum geſtavit uterum. Ejus Vir duxit ex voto conjugem ad Sacram ædem D. Virginis Lauretanæ, ac in patriam reverſus vocat ad conſultationem Medicos: quo tempore levi febre & continua tenebatur cum eisdem circa uterum ſymptomatis. Hæſitabamus omnes, ac poſt diſcurſus multos in eam ſententiam venimus, tumorem adeſſe in utero præter naturam, vel ſcirrhoſum, vel œdematoſum, aut molam: Dum ita ambigimus, ſolo victu accommodato contenti, mulieri fluor alvi ſupervenit fœtidiſſimus, erant excrementa flava ac utplurimum alba & livida, & copioſa, ſingula quaque hora decies ferè

egere-

egerebat. En mirum dictu, nondum viſum, nondum imaginatum, cum ipſis excrementis duæ effluunt coſtæ parvæ. Quæ indicabant nobis ob parvitatem eſſe coſtas pueri in utero exiſtentis. Rurſus ſequenti die duas alias emiſit, & expiravit. Exenterato cadavere inventus eſt uterus putrefactus, qua parte rectum inteſtinum tangit, hoc ipſum totum corruptum; inventus eſt fœtus ſine involucris, ſine ſecundis, cujus caput non aderat, hoc putabamus ex putredine diſſolutum: erant integra reliqua, coſtis quatuor exceptis atque viſceribus, quæ putredine tabuerant. Sceleton adhuc ſervat Petrus Antonius Sacchimannus. Aliud exemplum embryonis fruſtulatim per alvum excreti, poſteritati haud invidit *Franciſcus Vicquius* Amſtelodamenſis Medicus, interprete *Nicolao Tulpio* l. 6. Obſ. Med. c. 39. quod ex illis relegat curioſus Lector. Cui ſimile, niſi idem ſit, deſcribit *Henr. Roonhuſius* Obſ. Med. Belgic. part. 1. Obſ. 1. de uteri Rupt. p. 25.

CAPUT

CAPUT XV.

De Dionyſii nativitate ex femore Jovis.

ALia corporis loca non occurrunt, per quæ ex utero fœtus edi poſſunt, niſi ad fabuloſum ævum revertamur. Jupiter enim totus & ab omni parte corporis prægnans fuit, ut loquitur *Lucianus* in Dial. Deor. & præter Minervam, de qua nos in loco, etiam Dionyſium Semeles fœtum ex femore ſuo, quod ideò magnum vocat *Theocritus* Idyl. 26. partu doloroſo edidit, quam narrationem prolixius perſequitur *Gyraldus* Hiſt. Deor. Syntagm. 7. Huic partui quid ſubſit, alii ſcrutentur, & an ex vera hiſtoria traductus, nam quæ de Jove antiquitas finxit, ex veris profluxerunt. *Lactantii* hoc eſt judicium L. 1. de Falſ. Relig. c. 11. non res ipſas geſtas finxiſſe Poëtas, ſed rebus geſtis addidiſſe quendam colorem: cum officium Poëtæ in eo ſit, ut ea, quæ verè geſta ſunt, in alias ſpecies obliquis figurationibus cum decore aliquo converſa traducat. Jovis cujusdam Regis Cre-

Digitized by Google

Cretici ſpurius fuit Dionyſius, quod fuſius *Julius Firmicus Maternus* l. de Err. Prof. Relig. aperit. Magnus *Daniel Heinſius* Exercit. Sacr. in cap. 1. Nonn. femur hic de pudenda parte Viri accipit, idque ex voce ירך probat, quam de femore Helleniſtæ interpretantur *Geneſ.* 46. *Exod.* l. 5. ut *prodire è femore alicujus*, ſit filium alicujus eſſe, aut ex eo genitum. Quod quanquam commune ſit cæteris; tamen judicio multiſcii *Voſſii* l. 1. Idolol. Orig. c. 19. ſingulari ratione hoc Dionyſio competebat, quatenus in eo ſpectamus Noachum, qui ſemel natus, more omnium hominum, poſtea quaſi renatus, cum in arca à Deo fuit conſervatus. Quidquid de tantorum Virorum ſententia in venerandæ antiquitatis excuſationem ſtatuendum Eruditi judicent, mihi certum eſt, myſticum & moralem huic narrationi ineſſe ſenſum. Quemadmodum enim dignior Pallas ex cerebro, ita Dionyſius ex femore Jovis natus fingitur, ut aliorum ſeculorum Joves damnentur, qui femori Minervam, Dionyſium nullo ſuo merito, inſerunt cerebro, præteruntque lævum numen Artium Præſidi.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

De Fœtu prægnante.

MIſſis querelis ad mulierem noſtram revocamur, cujus hactenus breviter hiſtoriam illuſtravimus, oppidò raram, ſed non inauditam. Merito inter raros Naturæ caſus numeramus, quia raró has vias Natura eligit, aut moram iſtam patienter perfert. Non tamen exemplis caret, quod per partes ordine hactenus monſtravimus. Multa eveniunt paſſim, quæ negliguntur, quia ad Medicos harumque rerum gnaros non perveniunt. Supprimuntur enim plerumque ab obſtetricibus, & ab ipſius puerperis, ne fabula vulgi fiant. Id evenit forſan Johannæ uxori Nicolai Petri, quæ embryonem prægnantem enixa eſt in Fionia noſtra, de qua verè dici poteſt, quod de Pſyche *Apulejus* l. 5. Met. *hic adhuc infantilis uterus geſtat nobis infantem alium.* Hujus hiſtoriam ex obſtetricis Siſeliæ relatione *Cent.* 6. Hiſt. 100. conſignavimus. At quum ex Clementiſſimo Reg. Maj. man-

dato dicta Johanna à Præfectis de partu ſuo interrogaretur, ea, quæ obſtetrix & palpaverat & viderat, ſtrenuè negavit, ſive ea ipſa non fuerit, de qua obſtetrix narraverat, ſive metu territa, ne famam aut fortunas ſuas ea confeſſione proſtitueret, quod inaudita paſſa eſſet, quaſi illa miſella Naturæ ludentis culpam præſtare deberet, ignara edicti *Ulpiani* l. 4. ad leg. Jul. & Papiam, quod extat *ff. de Verb. ſignif.* §. 135. neque id, quod fataliter acceſſit, matri damnum injungere debere. Hac timida vel verecunda taciturnitate, multa Naturæ ſecreta fiunt ſecretiora & occultantur, quæ intereſſet Reip. literariæ, ſi remoto velo innoteſcerent. Ita his diebus mulier civis Hafnienſis ovum peperit, quod, ne à pluribus videretur, ſtatim manu prehenſum confregit & abjecit, ipſo marito confitente. Sub hoc ſilentio multa monſtra ſepeliuntur, ranæ aliaque miranda non ſemel à mulieribus edita occultantur.

De embryone prægnante quid ſentiam, in Hiſtoria nominata aperui, & adhuc in ea ſum ſententia. *Theophraſtus* urſinas carnes aſſervatas accreſcere perhibuit, quod etſi videret *Verderius*, neſcit tamen an poſſit ſibi perſuadere, *Cenſ. in Auth.*

P.

p. 144. Quid de hoc portento dicturus eſſet, ſi adhuc inter vivos mereretur, neſcire non poſſum. Quod ſi fides obſtetrici habenda, de cujus fide cur dubitem, prægnantes cauſas habeo nullas, quanquam à me ipſo difficile impetrem aſſenſum; tamen conabor inauditum antea in humano genere partum aliis ſimilibus vel illuſtrare vel confirmare. Ovum alio ovo prægnans in Technicotheca ſua Auguſta Sereniſſimus Rex noſter mihi clementiſſimè monſtravit. Nec dubium, quin ſimilia frequentius occurrant quoque in aliis animantium generibus. *Jo. Euſeb. Nierenbergius* l. 6. Hiſt. Nat. c. 2. ſcribit de equa in Hiſpaniâ, peperiſſe mulam aliâ mulâ gravidam. Certè ſalaces ſunt equæ Hiſpanicæ, & ſicut ferunt, decimo poſtquam natæ ſunt menſe concipiunt, & geminos ſæpe uno partu ejiciunt. *Torquemada* Dial. 8. apud *Gaſp. à Rejes* Q. 36. n. 28. equam peperiſſe mulam mortuam confirmat, in cujus alvo apertâ alia mula inventa eſt. Quis horum prior, ignoro, & an de eadem mula ſermo illis ſit. Nam gravidam dicit *Nierenbergius*, at locum non determinat, quem per alvum exprimit *Torquemada*, nec tempus aut locus hujus egregii partus annotatur. *Jul. Ob-*

ſequens de Prodig. Coſſ. C. Valer. M. Herenn. vituli maris meminit, cui cum exta demerentur, gemini vitelli in alvo ejus inventi. Alvum hic *il corpo* vertit Interpres Italus *Damian. Maraſſi*. Et ſimile eſt quod refert *Jo. Langius* Epiſt. 70. in cervi maſculi alvo, cum eviſceraretur, hinnulum repertum fuiſſe. Scilicet in alvo à prima nativitate hæſerant vitelli & hinnulus, patrisque ſui fratres dici poſſunt, ſimul geniti, id quod de fœtus prægnantis fœtu *Cent. 6. Hiſt.* 100. ſuſpicatus ſum, gemellas enim hic molitam eſſe Naturam, ſed errore quodam unam in alterius alvum inductâ cuticulâ detruſam. Ratione loci quidem poſterior, filia alterius dici poteſt, quia in utero quaſi matris concluſa fuit, ſed ratione generationis ab eadem patris virtute, appellandæ ſorores. Mures in alvo matris prægnantes eſſe veterum traditione fertur. *Ælianus* l. 17. c. 17: Si mus prægnans capta diſſecetur, & eximatur fœtus, in eo quoque diſſecto fœtus reperietur alter. Ad Perſicas mures reſtringit *Plinius* l. 10. c. 65: apud Perſas prægnantes & in utero parentis repertas; & ſalis guſtatu fieri prægnantes opinantur. Editio *Parmenſis* vett: prægnantes in utero venerem patientis paren-

parentis repertas. Codex *Cliffletianus*: in prægnantis ventre parientis. Ante *Plinium* eadem tradit *Ariſtoteles* l. 6. Hiſt. Animal. c. 37. fœcunditatis muſculorum cauſam aſſignans: Quodam loco Perſicæ terræ diſſectis è matris utero fœtibus, fœminei ſexus quaſi prægnantes videntur. *Scaliger* Illuſtris notat φαίνεται, videri, non eſſe, & *quaſi* additum, modeſtiamque Philoſophi eo nomine laudat, ſed *Gazam* perſtringit, qui τὸ οἷον omiſit. De muſculis prorſus eadem repetit *Wottonus* l. V. de Diff. Anim. c. 87. ſed innominato authore, qui mos illius & multorum eſt aliorum. Veterum hanc de murium generatione ſententiam defendit magnus *Ariſtotelis* patronus *Fortunius Licetus*, ejusque duplicem rationem prodidit l. 3. de ſpont. Viv. Ort. c. 50; alteram quidem, eſſe generationem non ſpontaneam, quia viventis muris anima in utero matris materiei viſcidæ in ſuo uterculo degentis animam ſibi conſimilem generet, ac indat, eo modo quo in piſcium genere paſſeres, rubelliones, & hiatulæ apud Ariſtotelem, ſine uſu maris omnes fœminæ ex ſe pariunt, intra ſe quum genuerint ova prolifica: qui modus generationis communis ſit etiam ſtirpibus, in quibus non ineſt ſexuum

DE LA FACULTAD
Digitized by Google

diſtinctio: alteram verò eorundem murium generationem ſpontaneam eſſe, quia in uterculis fœtuum muris reſciſſæ prægnantium materia contineatur, ſive à parentum ſive à fœtuum corpore illuc effluxa; in qua, velut in vaſe, portio ſentientis animæ priſtini viventis deliteſcat: cui materiei ab ambientis calore ubi per coctionem diſpoſitiones ad vitam congruentes advenerint, ſtatim animam illam ſibi componere in formam eſſentialem novi muris conſtitutricem. *Gaſp. à Rejes* Quæſt. 36. n. 31. omnem harum generationem æquivocam eſſe ſtatuit, nec ſpecie cum aliis ſed ſimilitudine tantum convenire, à materiæ diſpoſitione ab univerſali cauſa formata & animata, prout materiæ diſpoſitio formam poſtulabat, quam diſpoſitionem ſicut in terra, ita in utero, & etiam in aliquibus humani corporis partibus, & contentis ibidem humoribus dari poſſe, non dubium eſſe credit. Quam tamen æquivocam generationem *Sennertus* operoſo ſtudio evertit.

Quid de humano genere dici poſſit, in præſenti non addo. Clariſſimus Vir *Antonius Deuſingius*, in Fœt. Muſs. Secundin. ſect. 6. quem commodè videram antequam hæc in publicum emitterentur, de

Digitized by Google

de fœtus imprægnati & à me deſcripti miraculo, ita ſtatuit: Apparere ſaltem (ſuppoſita hiſtoriæ veritate) ſeminis alicujus maſculini corpulentiâ ad conſtituendum conceptum nequaquam eſſe opus; ſed virtutem illius ſeu efficaciam ſufficere, fœmineo ſemini communicatam: Fieri ergò poſſe, ut virtus à paterno ſemine communicata ipſi ſemini matris, unde embryo *primum* conſtituebatur, ita efficax fuerit, ut ſucco alicui ſeminali embryonis, ad hujuſce uterum confluenti, (ut frequens eſt, fœtus fœmineos recens natos fluxum album pati, ſeu q. ſeminalis alicujus materiæ ad uterum confluxum, atque ex utero effluxum,) efficaciam addiderit, quâ ad fermentationem, ſeu ſpiritus ac naturæ, quæ in ſemine inſunt, exuſcitationem, potuerit concitari. Sed ego malo ἐπέχειν, ut ad utiliora progrediar.

De muribus prægnantibus quæ ſit ſententia celeberrimi apud Batavos Philoſophi, *Arnoldi Senguerdii*, ex literis patet, quas, ad me non ita pridem amice exaratas, hic publice legendas addam.

Petis opinionem meam de imprægnatione murium, quæ tempore partus dari aſſeritur. Mihi hactenus ea fabuloſa videtur. Varios quidem, qui ejus meminerunt,

Digitized by Google

legi; neminem tamen, qui eam certo docuerit. Exiſtimo; quæ autores de illa ſcribunt, petita eſſe ex Ariſtotele, illud, ut putant, aſſeverante, *lib.* 6. *Hiſtor. Animal. cap.* 37. Hoc ut pateat, conferam Ariſtotelis textum cum verbis eorum: Deinde inquiram in verum loci illius ſenſum & mentem Philoſophi. Hic, per interpretem Theodorum Gazam, ita loquitur: *Terræ Perſicæ parte quadam mure fœmina reſciſſa, fœtus fœminini prægnantes comperiuntur. Sunt qui vehementer confirment, mures, ſi ſalem lambant, impleri ſine coitu.* Notum eſt, Ælianum & Plinium multa ex Ariſtotele deſumſiſſe quæ ſpectant animalia, uti etiam eos plures narrare fabulas. Plinius aliquoties erravit ex linguæ Græcæ imperitia; unde factum, ut, Ariſtotele non bene intellecto, quandoque ornato ſtylo proponat, quæ veritati non pari modo conſentiunt. Hoc de Græco ſcriptore Æliano dici non poteſt, qui, nimis ſæpe credulus vel minus attentus, fallitur & fallit. Eos in hoc negotio Ariſtotelem ſecutos eſſe, dictorum affinitas monſtrat. *Ælianus lib.* 17. *de Animal. cap.* 17. Latina indutus veſte, ſic ſcribit: *Si mus prægnans capta diſſecetur, & eximatur fœtus, in eo quoque diſſecto fœtus*

reperietur alter. Plinium qvod attinet, ille *Hiſtor. Natur. lib.* 10. *cap.* 65. de muribus ita loquitur: *generatio eorum lambendo conſtare, non coitu, dicitur: ex una genitos* 120 *tradiderunt:* (quod etiam apud Ariſtotelem legitur) *apud Perſas vero prægnantes & in utero parentis repertas. Et ſalis guſtatu fieri prægnantes opinantur.* Hos ſequuntur recentiores, ſecure obdormientes, tuti antiquorum, præſertim Ariſtotelis, autoritate. *Edoardus Wottonus de Different. Anim. lib.* 5. *cap.* 87. hæc habet: *Terræ Perſicæ parte quadam, mure fœmina reſciſſa, fœtus fœminini prægnantes comperiri traduntur. Sunt qui vehementer confirment, mures, ſi ſalem lambant, impleri ſine coitu.* Neque ulteriorem veritatis indagationem perſequitur. *Fortun. Licetus lib.* 3. *de Spontan. Vivent. Ortu*, ita infit, *ſponte naſci animalia ex animalibus viventibus in eadem ſpecie ab Ariſtotele didicimus, qui aperte alicubi ſcribit, Terræ Perſicæ parte quadam mure fœmina reſciſſa, fœtus fœminini prægnantes comperiuntur. Sunt qui vehementer confirment, mures, ſi ſalem lambant, impleri ſine coitu.* Similia occurrunt apud *Ulyſſ. Aldrovand. de Quadrup digit. vivip. lib.* 2. *cap.* 30. his verbis: *Veruntamen absque ſalis uſu murium fœcundi-*

 tatem

tatem debemus admirari. Cum ſcribat Ariſtoteles mure fœmina prægnante in vaſe milliario quandoque occupata, paulo poſt aperto vaſe, mures viginti & centum repertos fuiſſe. Præterquam quod in fœmina gravida diſſecta fœtus fœminini prægnantes obſervati ſunt. Eadem ex Ariſtotele, absque ulteriore inquiſitione refert *Matth. in lib.* 1. *Dioſcor. cap.* 63. Plures adducere, quibus oſtendatur, ultimam reſolutionem hujus perſuaſionis in ſolum Ariſtotelem fieri, ſupervacuum puto. Perpendamus jam, an ex illo textu Ariſtotelis tam firma facti, de quo agitur, probatio peti queat? Si, miſſo interprete, fontem conſulamus, ſtatim apparebit defectus. Græca verba ſic ſe habent: τῆς δὲ Περσικῆς ἔν τινι τόπῳ ἀνασχιζομένων τῶν ἐμβρύων τὰ θήλεα οἷον κύοντα φαίνεται. Hæc ita verti debent: *Terræ Perſicæ parte quadam, diſciſſis embryonibus, fœminei ſexus* (ſc. mures) *tanquam prægnantes apparent.* Longe alius ſenſus horum verborum eſt, quam vulgaris interpretis. Non dicit Philoſophus, fœtus prægnantes comperiri; ſed utitur voce φαίνεται *apparent, videntur*, & expreſſè addit vocem οἷον *tanquam, quaſi* prægnantes. Quia vero ſuſpicio variæ lectionis oriri poterat, inſpexi editionem Pariſienſem & Lugdunenſem,

nenſem, in quarum utraque eodem modo hæc leguntur, addita voce οἶον. Ruit itaque totum & unicum probationis fundamentum: cum Philoſophus non aſſerat, quod illi attribuunt. Mihi hæc videtur eſſe ſeries contextus. In principio illius capitis dixerat, mirabilem eſſe murium generationem, ratione numeri & celeritatis. Hoc ubi probavit, ne quis putet, ideo ubique tenellos eſſe murium fœtus, abſoluto eo quod primario intendebat, ſubjungit, in Perſia murium fœtus adeo craſſos & obeſos produci, ut quaſi prægnantes appareant. Dolendum certe eſt, uno præeunte, tot in errores abduci. Ovium inſtar ſumus, quæ præcedentem gregem ſequuntur, eunt qua itur.

His addo aliam conſiderationem, qua etiam erroris convincantur illi, qui tradunt, Ariſtotelem dicto loco docere, mures prægnantes naſci. Extra dubium eſt, alium ſervari loquendi modum, cum referuntur ea quæ plerumque & ſecundum conſuetum & communem ordinem & curſum eveniunt: alium, cum narrantur rara, monſtroſa, prodigioſa. Prius cum fit, uſurpari ſolet verbum præſentis temporis; ita dicimus, hoc fit in Dania, Gallia &c. quaſi dicatur, hoc ibi fieri ſolet.

ſolet. Cum poſterius fit, adhibetur verbum præteriti temporis: tum dicimus, evenit, factum eſt in Gallia. Atqui Philoſophus ibi utitur verbo præſentis temporis, *apparent quaſi prægnantes:* quod argumentum eſt, eum referre id, quod in illa Perſiæ parte non rarum aut monſtroſum eſt, ſed quod ibi vulgo evenire ſolet. Jam vero cui credibile videtur, dari aliquem tractum vel certam regionem in Perſia, in qua, ſecundum conſuetum naturæ curſum, mures ſoleant prægnantes generari? Ibi tum rarum foret, murem naſci non prægnantem, quod plane a ratione alienum eſt. Non igitur hoc voluit Philoſ. ſed tradit, in quadam Perſiæ parte mures ſolere in lucem edi, quaſi eſſent prægnantes. Ratiocinatio talis eſt: Quod ibi refert Philoſophus, credibile eſt in illa Perſiæ parte ſolere fieri: atqui, ut mures prægnantes generentur, non eſt credibile, ibi ſolere fieri; ergo illud ibi non refert Philoſophus. Præterea, ſi Ariſtoteles rem adeo miram voluiſſet referre, veriſimile eſt, quod accuratius & ſpecialius, additis pluribus circumſtantiis factum narraſſet. Atqui, neque ſui ipſius, ut oculati teſtis, neque alterius alicujus teſtimonium adducit: imo, ne quidem locum,

cum, in quo hoc contigerit, ſpecialiter exprimit; ſed, cum Perſia tantæ ſit magnitudinis, utitur ſolummodo voce, qua individuum vagum ſignificatur, dicens: Terræ Perſicæ parte *quadam*. Hæc ſufficere videntur ad probandum quod inſtitueram.

Extra Ariſtotelem, video quidem in *Elyſio Campo*, quem nuperrime edidit *Gaſpar à Rejes*, *quæſt.* 36. commemorari ex Torquemada, de equa quæ mulam pepererit mortuam, in cujus alvo alia mula ſit inventa: Sed, cum ſcriptor ille Torquemada mihi plane ignotus ſit, utpote cujus librum videre mihi non contigit, plura de illa hiſtoria non adjungo.

Reliquum eſt, ut aliquid addam de Liceto. Quam debili ille ſua ſuperſtruat fundamento, jam prolata arguunt. Præter hoc, declarationes ejus mihi non arrident. Duplicem proponit modum ortus murium, de quibus difficultas eſt, quorum unum non ſpontaneum, alterum ſpontaneum eſſe judicat. Adſcribam potius verba Autoris: *Porro*, inquit, *mures, qui prægnantes in utero matris reſciſſæ comperti ſunt, duplicem generationem habere poſſunt; altera quidem eſt non ſpontanea,* *quia,*

quia viventis muris anima in utero matris materiei viſcidæ in ſuo uterculo degentis animam ſibi conſimilem generet, ac indat, eo modo quo in piſcium genere paſſeres, rubelliones, & hiatulæ, apud Ariſtotelem, ſine uſu maris omnes fœminæ ex ſe pariunt, intra ſe quum genuerint ova prolifica: Qui modus generationis communis eſt etiam ſtirpibus, in quibus non ineſt ſexuum diſtinctio. Altera vero eorundem murium generatio ſpontanea eſt, quia in uterculis fœtuum muris reſciſſæ prægnantium materia contineatur, ſive a parentum, ſive a fœtuum corpore illuc effluxa; in qua, velut in vaſe, portio ſentientis animæ priſtini viventis deliteſcat: Cui materiei ab ambientis calore ubi per coctionem diſpoſitiones ad vitam congruentes advenerint, ſtatim animam illam ſibi componit in formam eſſentialem novi muris conſtitutricem.

Primus ille generationis modus diſplicet; quia mures animalia ſunt, in quibus datur ſexus diverſitas: ubi vero illa eſt, nunquam ex uno, ſed ex utroque ſexu ſimul genitum producitur: quod obtinere exiſtimo in omnibus ſpeciebus absque exceptione. Aliter ſi fieret, ſexus diſcrimen fruſtra eſſet. Unde nec vero conſentaneum eſt; mures fœtas reddi ex ſolo ſalis

ſalis linctu: quod neque Ariſtoteles aſſerit.

Deinde, anima embryonis minus valet ad generationem quam anima animalis jam recens nati: atqui illa non valet ſibi ſimilem animam producere; cum in ſingulis natura certum tempus præſtituerit ad generationem, in aliis longius, in aliis brevius, ante quod animalia ad generationem inepta ſunt. Generantis & ſibi ſimile producentis juſta requiritur quantitas, longe excedens quantitatem animalis recenter nati, quid hic igitur valebit anima embryonis? Habet illud locum & in muribus, & in reliquis animalibus perfectis & diſcrimen ſexus admittentibus. In alia inquirere, nunc neceſſe non eſt. Imo, animæ murium adultarum nunquam producunt ſibi ſimiles animas, ſimiles mures, absque commiſſione maris: multo minus itaque hoc præſtare poteſt anima embryonis, animalculi imperfecti, necdum nati.

Præterea, in omni generatione, apta requiritur materiæ diſpoſitio; unde vulgare illud, forma non introducitur in materiam indiſpoſitam: Atqui hic requiſita diſpoſitio deeſt Dicit Licetus, animam illam indi materiei viſcidæ in uterculo.

Atqui

Atqui apertæ veritatis eſt, quamlibet viſcidam materiam, non eſſe ſubjectum aptum quod animam recipiat & ab illa informetur: Qualis hic viſcida materia ſit, tacet; quia nobiſcum ignorat: ne dicam, illum gratis & ſine probatione aſſumere, viſcidam materiam in tali uterculo dari. Si rite contemplemur, quod viſcidum in uterculo forte eſt, id excrementitium eſt: atqui viſcidum, ex quo ejusmodi animalia producuntur, debet eſſe ſemen vel ovum aut illi analogum, quod hic non datur: cum embryo ineptus ſit ad ſeminis vel ovi productionem.

Quod Licetus, illud ſimili declaraturus, ſubdit, *eo modo quo in piſcium genere paſſeres &c.* plane hic alienum eſt, neque quicquam ad rem facit. Primo, quia autores, qui tradunt illos piſces procreare absque mare, ſimul etiam docent, in ejusmodi piſcium generibus non dari diſcrimen ſexus, ſed omnes eſſe fœminas. Ita *Ariſtoteles Hiſtor. Anim. lib. 4. cap. ult.* illud notat his verbis: *In teſtaceis, atque in ſtirpibus, quod pariat, & generet, eſt: quod autem maris fungatur officio, deeſt. Sic etiam inter piſces genus paſſerum eſt, & rubellionum, & hiatularum: ova enim in iis omnibus inveniuntur.* Idem docet *Rondelet.*

delet. lib. 5. de Piſc. cap. 16. cum ſcribit: *In erythrinis, paſſerum generibus, & channis, nulla eſt diſtinctio maris & fœminæ, ſed omnes fœminas eſſe argumento eſt, quod in omnibus ova inveniuntur æſtate, quum parere debent.* Res ipſa docet, in illis animalium ſpeciebus, quæ diverſitate ſexus carent, & tamen generant, ſolas fœminas absque maribus generare, cum non dentur mares. Atqui in hac materia de muribus longe alia ratio eſt, cum illi ſexu differant; qua de cauſa vis argumenti in eo ponebatur, quod fœminæ animalium ſexu diſtinctorum non generent ſolæ absque maris conjunctione. Secundo, in hoc quoque illorum piſcium & murium diverſitas eſt, quod piſces jam nati & ad generationem apti generent; atqui difficultas, de muribus mota, eſt de necdum natis, quæ alias dicuntur generare. Tertio, in eo etiam diſſimilitudo eſt, quod piſces illi dicantur ova parere, ex quibus alii piſces naſcantur: cum, ut modo attigi, generatio ovorum, aut alterius ſubſtantiæ, quæ illorum vicem ſupplet, non poſſit tribui muribus, quibus lucis uſura nunquam conceſſa fuit. Ne itaque Licetus modum generationis murium comparet cum ſtirpium generatione, quæ

absque ſexus diſtinctione, qua ſtirpes carent, perficitur: cum mures diſtinctionem ſexus admittant. Hæc, forte nimis prolixe, de primo generationis murium modo. Subjungam quoque aliquid de altero, quem ita concipit Licetus, quod in uterculis murium contineatur portio animæ priſtini viventis, a qua componatur forma novi muris; & hac de cauſa vocat hanc generationem ſpontaneam. Multa hic dici poſſent, ſed breviter tantum quædam notabo.

Primum ſit, quod ponat portionem animæ ſentientis priſtini viventis. Per *portionem* nihil aliud quam pars intelligi poteſt. Vult igitur, priſtini viventis animam ſentientem in partes dividi, & quod ex portionibus ſive partibus a priore vivente ſeparatis, de novo producerentur mures. Verum quidem eſt, animas ſentientes eſſe materiales, a materia dependentes, extenſas ad extenſionem materiæ, & ea ratione quoque diviſibiles: revera etiam quorundam imperfectorum reptantium animalium animas ita dividi, ut brevi tempore quælibet pars ſe moveat; ſed quod murium animæ ita dividerentur, ut ex illarum portionibus novi orirentur mures, forte ſimili modo, quo ex ſtolonibus

novi

novi excreſcunt frutices, vel ſicuti per inſitionem & inoculationem certi generis arbores multiplicantur, nullo modo credibile eſt: &, ſi hoc fieret, cur magis illa murium generatio vocabitur ſpontanea, quam talis propagatio & multiplicatio fruticum & arborum?

Secundum ſit, ut conſideretur, unde ſive a quo ortum ducat materia, in qua portio animæ ſentientis reſidet. Dicit Licetus, illam effluxiſſe, *ſive a parentum, ſive a fœtuum corpore*. An ſic loquitur, quod hæſitet an a parentibus an a fœtu illa materia fluat? an vero credit, quod aliquando fluat a corporibus parentum, aliquando a fœtuum corporibus? Quicquid velit, dico utrumque improbandum. Si a corporibus murium parentum flueret materia, in qua portio animæ ſentientis reſideret, quæ novos fabricaret mures, jam frequentiſſime eveniret, ut mures abſque mare generarent. Si admittatur hoc in muribus fieri, cur non etiam idem concedetur multis aliis animalibus? Quorſum ergo, rurſus dicam, diverſitas ſexus? Si materia ad id habilis non poſſit defluere e corporibus murium majorum & perfectorum, multo minus illa effluet e corporibus imperfectorum embryonum.

Digitized by Google

Tertio, difficultas eſt de modo, quo materia illa ad uterculos eſſet delata. Nullo modo probabile eſt, illam ibi fuiſſe & remanſiſſe a prima conceptione murium prægnantium: hinc enim ne quidem uterculi erant; ubi, quo modo materia ibi eſſet conſervata? Neque poſt conceptionem & conformationem murium prægnantium eo deferri potuit: quia, ſi hoc fieret, deberet ferri ex corporibus murium parentum, in uterculos fœtuum. At quibus id viis, per quæ vaſa fiet? quomodo pauxillum illud materiæ incorruptum manere poteſt, ſubeundo tot varios motus?

Neque ſcrupulo caret ille loquendi modus, quo portio illa animæ ſentientis dicitur ſibi componere animam in formam eſſentialem: Sed abrumpendum eſt. Finio itaque Vir Excell. cum gratiarum actione pro tractatu de Pulmonibus, quem dono mihi miſiſti. Vale & mihi favere perge. Amſtel. 12. Jul. Anno 1663.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XVII.

De Obſtetricum ſcientia.

HActenus inſolitas partus humani vias ordine juſto expendimus, quæ tamen, quantum fieri poteſt, vitandæ. Sedulo potius procurandum, ut ad naturalem exitum fœtus alliciatur, qui, quanquam humanum ſuperet ingenium, *Galeno* fatente l. 15. de Uſ. Part. c. 7. dolorisque plenus ſit ex pœna peccatorum *Gen.* 3. duplici tamen nomine præferendus, partim quia naturalis eſt adeoque natura adjuvante facilitatur, partim quia vitales juſto tempore fœtus producit in noſtræ mortalitatis ſolatium. Quid igitur facto opus fuerit, ut Ingera noſtra vel juſto partus termino vivos ſuos fœtus excluderet, vel, in utero impeditos mortuosque, per naturales vias ejiceret, dignum videtur ſcitu.

Tres ad partum naturalem mutuas operas conferunt, mater, embryo, obſtetrix. Obſtetrix hic vel nulla fuit, vel imperita. Utraque puerperæ vel embryoni

Digitized by Google

ni exitium minatur. Quanquam enim non rarò furtivi partus ſine obſtetrice edantur, & robore præpollentes militum uxores aliena ſubinde auxilia reſpuant, in difficili tamen partu neceſſariam obſtetricis operam miſellæ parturientes requirunt. In Gallia Chirurgis peritis hoc negotium committitur. Valentiæ in Hiſpania paſtoribus, ſed prudentibus & ſenibus, eæ partes aſſignantur, teſte *Mich. Joan. Paſchalio* l. 1. de Cur. Morb. c. 59. nec mirum, quum *Joan. Gallego de la Serna* tr. 2. c. 5. de obſtetricum ſuarum ignorantia valdè conqueſtus optet, ut Senatus Regius permittat eas examinari. *Rod. à Caſtro* l. 4. de Morb. Mul. c. 1. Viros artem iſtam dedecere, ex Borealium conſuetudine, ſibi perſuaſit. Si quidem tamen ad partus mortuos & ſecundas extrahendas advocentur, conſilio *Celſi* l. 7. c. 29. nihil eſt quod eos ab aliis partubus arceat, præſertim uxoratos. In America Viri uxoribus ſuis obſtetricantur. Teſtatur id *Joannes Lerius* Hiſt. Nav. in Braſ. c. 17. Nam cum is aliusque Gallus in vico quodam diverterent ibidem, circa mediam noctem clamorem muliebrem ingentem exaudiverunt, ſurgentesque, eam a belua *Janovare* interceptam rati, accurrunt, mulierem

mulierem parturientem offendunt, cui Vir obſtetricabatur: hunc puerulo in ulnas recepto dentibus umbilicum abſcidiſſe, naſum verò depreſſiſſe, pro more gentis. Sunt autem Braſilienſes mulieres ſive prægnantes, ſive puerperæ, robuſtæ, vegetæ agilesque, atteſtante *Guil. Piſone* l. 2. de Med. Braſ. c. 17. Non improbanda in puerperiis maritorum præſentia, qua uxores animantur; aliàs, ſi timidiores ſint, niſi artis peritiam habent, inutiles. Qualis obſtetrix fuerit Socrates, *Plutarchus* 1. Quæſt. Plat. explicat, & antea *Plato* in Theæteto. Noſtræ mulieres pudori ſuo optimè conſuli credunt, quod fœminas obſtetrices eligant. Nec damno verecundiam hanc, modo peritas haberemus obſtetrices. Cæterum cuivis obſtetricem ſe profitenti credimus, quæ per mortes noſtrarum puerperarum deinde experimenta faciunt, Anatomiæ prorſus ignaræ, quam diſcere vel erubeſcunt, vel faſtidiunt. Per pluſculos annos publicè in Theatro Anatomico utriusque ſexus & ætatis ſectiones adminiſtravi, ſed nullam unquam obſtetricem curioſitas uterum eique annexas partes videndi adduxit, præter unicam, quam eo nomine laudavi, illique privato ſtudio ſingula in cadavere

fœminino demonſtravi, quæ tamen adhuc extra viciniam ſuam eſt ignota, ut idcircò experientiâ deſtituatur, & ego ab ulteriore liberorum cogitatione ſuperſedere cogor, quia ipſe obſtetriciam artem nec exercui, nec exercere volo. Obſtetricum peritia & rerum Anatomicarum ſcientia ad felicem partum neceſſaria, ut opem ferant. Hinc enim dictæ *Opſtetrices* in vett. Inſcriptionibus. Romæ olim in domo Marcelli de monte ad emiſſarium Aquæ Virginis, jam in Horto Matthæorum.

SALLUSTIA.Q.L.IMERITA
OPSTETRIX
Q.SALLUSTIUS.Q.L.
ARTEMIDORUS
ARESCUSA.FECIT.

ET alibi Romæ, repetente *Grutero* p. 652. ex F. *Urſini* imaginibus:

SEX. POMPEIUS SEX. L. DAPHNIS GRAM. CHLOE. POMPEIÆ APPI OPST	ATIA. DYNAMIS OPST.

Hinc etiam Diana, parturientium DEa,

Ops

Ops dicta, quam ipſam Dianam eſſe, non comitem Dianæ, *Macrobius* probat l. 5. Saturn. c. 12. Ut opem felicius ferre poſſent, antequam pro obſtetricibus ſe venderent, deberent examinibus Medicorum & ſeniorum obſtetricum prius ſubjici. In Eccleſiaſticis Daniæ Conſtitutionibus jubentur à Paſtoribus de pietate & & fide examinari, antequam conceptâ juramenti formulâ ſe Magiſtratui civili obſtringant. Lipſiæ uxoribus Conſulum incumbit ex officio obſtetrices eligere, narrante *God. Welſchio* in Annot. ad l. 1. Obſt. Mercur. c. 18. cujus tamen prudens quoque eſt conſilium, ut etiam conſultus Medicus examini interſit. Hic ſanè de ſcientia Anatomica rectius judicabit, quam uxor Conſulis, & de aliis agendis in caſibus difficillimis. Hujus ſcientiæ imperitia & uſus defectu malè multæ mulctantur. B. *Auguſtinus* l. 1. de Civ. DEi c. 18. conqueritur, quod obſtetrix virginis cujusdam integritatem manu velut explorans ſive malevolentia, ſive inſcitia, ſive caſu, dum inſpiceret, perdiderit. Quod mater ad partum edendum ab obſtetrice fuerit ſolicitata, nondum perfectè maturo fœtu, cauſa fuit ut ſecundina utero hæſerit, ex conjectura *Plateri* l. 1. Obſ.

Integerrimus puellus obſtetricis culpâ capite in utero privatus narratur ab *Henrico ab Heer* Obſ. Med. 15. Puerperæ vi extractus fuit & reſectus uterus apud *Hildanum* in Epiſt. ad Doring. Capitulum filiolæ Paſtoris per imperitiam obſtetricis latere tenus ita fuiſſe compreſſum conqueritur *Henr. Eyſſenius* l. de Oſſ. Infant. c. 6. n. 4. ut introrſum adactæ ac retractæ oſſium ſyncipitis extremitates, in ſuturæ ſagittalis concurſu mutuo ſatis profundum parerent ſinum, ab occipite ad ſupremam usque frontem protruſum. Vidimus nos non ſemel, brachiis, pedibus &c. mutilatos infantes, quia ignaræ erant obſtetrices, neſcientes partem prodeuntem ad uterum reducere. Obſtetrices igitur non tantum probatæ artis, ſed & fidei commendat *Ulpianus* ff. 25. tit. 4. de Ventr. inſpic. Quales in Ægypto fuerunt *Exod.* I, 17. quæ, ſpreto edicto Tyrannico, natis pueris Ebræorum pepercerunt. Hujus fidei immemores obſtetrices duæ in Epiſcopatu Baſileenſi & Argentinenſi, una 40, altera innumerabiles pueros nuper editos necaverunt, inditis clam in eorum capita grandibus aciculis, quod facinus igne expiatum ſcribit *Sprengerus* in Mall. Malef. part. 2, q. 1. c. 13. Nec abſimiles illæ, quæ falſum

ſum partum puerperis ſupponunt, quæ ideò puniuntur in Jure Civili l. 2. ff. de Carb. edict. tit. 11. Huc ſpectat obſtetricum ſuperſtitio, quæ illarum ferè eſt propria, in pileo, umbilico, aliis. Diviſos membratim in ſceleton abortus, menſium piacula, & alia quæ & obſtetrices & meretrices prodidere, ad portentorum miracula refert *Plinius* l. 28. c. 7. Talia obſtetricum flagitia hodie frequentia in Alemannia, quæ ſub ditione Lotharingica eſt, ſæpe ex quæſtionibus capitalibus deprehendit *Nic. Remigius* l. 2. Dæmonol. Sag. c. 3. De pileo illuſtris eſt locus *Ælii Lampridii* in Vita Antonini Diadumeni: Solent, inquit, pueri pileo inſigniri naturali, quod obſtetrices rapiunt, & advocatis credulis vendunt, ſiquidem Cauſidici hoc juvari dicuntur. *Balſamon* quoque in Comm. ad Canon. 61. Concilii in Trullo, hiſtoriam narrat de Proto quodam è clero, qui accuſatus quod his artibus eſſet deditus, poſtea deprehenſus eſt habere in ſinu pileum hujusmodi naturalem, à muliere quadam acceptum, quæ hanc illi vim ineſſe affirmaverat, ut omnium ora, qui adverſus geſtantem dicere eſſent parati, obturaret. Quam mulierem, fuiſſe obſtetricem *Iſ. Caſaubonus* Not. ad Lam

Lamprid. ſuſpicatur, quia etiam *Joh. Chryſoſtomus* non ſemel in Sermonibus ſuis obſtetrices objurgat propter hoc genus præſtigiarum & majorum impoſturas. De umbilico nihil addo, in quo credulæ obſtetricum mentes ludunt, & ex nodis nodos ſolvunt. Deciduum ad coli tormina commendant *Rhazes*, *Trallianus*, & alii ad fœcunditatem conciliandam. Obſtetrix illius cuſtodiam diligentem ſuaſit *Bald. Ronſſeo* Epiſt. Med. 17. qui idem conſilium *Martino Scippero* Medico Trajectino, Magni *Martini Schoockii* Proavo, novas tum nuptias contrahenti, amicè ſuggeſſit. Sed obſtetricibus ſimilia mihi laudantibus nunquam credidi, quia ſuperſtitione nituntur, quam ſemper amant. Certè incantationibus obſtetrices excitare & mollire partus vexationes, *Plato* tradit in Theæteto, ubi & alia obſtetricum munia recenſet inſtituto noſtro inſervientia.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

De Obſtetricum Officiis.

I. QUænam prægnantes eſſent, & quæ non, dijudicabant *Trincavellio* l. 11. de Part. affect. c. 20. Obſtetrix partes genitales mulieris pertractans concepiſſe mulierem facilè deprehendere poterit, ſi iſtius rei perita ſit: nempe ſi uterus contractione claudatur, quod ſuo digito cognoſcit. *Capivaccius* l. 4. Prax. c. 5. os clauſum etiam obſtetrices ſentire dicit, ſed citra duritiem, ubi enim durities & occluſio, eſt morboſa. Uterque id ex *Galeno* 5. Aph. 51. deprompſit. Quò tendit Reſcriptum illud de Ventre inſpiciendo, cum mulier diſſimulat ſe eſſe prægnantem, quod à tribus obſtetricibus eam inſpicientibus renuncietur. Juriſperiti quoque poſteriores obſtetricibus injungunt, ut probent in virginibus deflorationem; ſed ſi altior vel urgentior probatio requiratur, tunc adhibendos Viros peritos. Præter caſum Ducis Parmæ & filiæ Ludovici Marchionis Mantuæ, alium recitat

citat *Vincentius Alſarius Crucius* Quæſ. Epiſt. Cent. 4. de Spoletina Puella decem annos nata, quæ defloratæ virginitatis initio proprium accuſabat genitorem, mox negabat. Advocati Medici & Chirurgi, & obſtetrices, quæ abditas puellæ partes intuerentur, contrectarent & judicium ferrent. Medici negare conſtanter illam fuiſſe defloratam, at obſtetrices affirmare. Quærebatur, utrinam parti Judices magis crederent, Medicis an Obſtetricibus? *Alſarii* judicium fuit, nullam prorſus adhibendam eſſe fidem obſtetricibus in illo caſu, quod incerta ſint & fallacia ſigna omnia, per quæ virginitas ſeu præſens ſeu jam ablata dignoſcitur.

II. Medelis puerperii dolores emolliebant. Juxta *Moſchionem* enim l. Gynæc. c. 1. debent eſſe medicinalibus actionibus exercitatæ. Conſentit *Ariſtoteles* l. 7. Hiſt. Animal. c. 12. ex diſtinctione & verſione *Jul. Scaligeri*, de Obſtetricibus: Neque enim ſola dexteritate opus eſſe, ut juvare poſſint mulieres quæ ægrè pariant, ſed etiam præſenti animi vi ad ea quæ evenire queunt. Sicut apud Athenienſes mulierum morbis curandis præficiebantur, ita & apud Romanos. Præſes enim Provinciæ

etiam

etiam obſtetricem audire jubetur L. 50. ff. *de Extr. Cognit.* tit. 13. l. 1. §. 2. quæ utique medicinam exhibere videtur. Eleganter in hanc ſententiam D. *Hieronymus* l. 2. Epiſt. Select. 9: ipſum jactant aſſidere lecto, obſtetrices adhibere langventi, portare matulam, calefacere lintea, plicare faſciolas. Apud *Plinium* l. 28. c. 7. Sotira obſtetrix nominatur, quæ variis morbis remedia noverat, ibidem ſignata. Neutiquam verò medicamentum tale dare debebant, ut inde mulier periret, *ff. l. 9. in princip. ad Leg. Aquil.* quale medicamentum malum venenum vocatur §. 1.

III. Ægrè parturientibus demum opitulari, fœtumque educere, & ſi intempeſtivum fore videretur, obtundere atque retrudere. His præcipua obſtetricum munia circumſcripſit *Plato*, quem aliquo extra partum augmento juvabimus.

IV. Tanquam pronubæ eſſent, mares fœminasque jugare, vel jugatos discernere, quia gnaræ eſſe debent, quod in ſolum, quam plantam, quodve ſemen jacere deceat. Nam, ut eleganter *Lucretius* l. 4. de Rer. Nat:

—— multum

—— multum harmoniæ Veneris differre videntur:
Atque alias aliis complent magis, ex aliisque
Suſcipiunt aliæ pondus magis, inque graveſcunt. &c.

Quæ cura multum Reipublicæ intereſt, civibus ſeu bello ſeu lue exhauſtis, ne vel diſpar ætas jungatur, vel ad prolem inepta, magno & patriæ & familiæ cujusque detrimento. Poſt *Platonem* idem obſtetricum officium urget *Galenus* Comm. 5. Aph. 62. & Aph. 59. uſum oſtendit; Sæpe enim, ut Sacerdotalis aut Regalis propagatio quædam & ſoboles ſuperſit, ſtudiosè faciunt civitates, ut ab iis ſeu viris ſeu mulieribus ſuſceptos liberos habeant, ad quos ſolos ejus progeniei ſpes eſt redacta: deinde ubi mulieres non concipiunt, utrius cauſa id accidat quæritur, ut facto divortio ex aliis ſuſcipiantur liberi.

V. Nati fœtus umbilicum præcidere, in quo etiam deligando διανόιαν requiri rectè inculcat *Ariſtoteles* l. 7. Hiſt. Anim. c. 12.

VI. Aptè faſciis infantem involvere. Hinc

Hinc *Galenus* l. 2. de Morb. Cauſ. c. 7. inter cauſas, ob quas naturalis figura permutatur, unam obſtetricum ligaturam refert, de qua legi meretur *Henr. Eyſſonius* de Off. Infant. c. 6. n. 4.

VII. Infantes etiam lavaſſe olim, indicat *Plautus* in Trucul. Act. 5. ubi & puero & matri, hoc eſt, obſtetrici, ſicut explicat *Joſ. Scaliger* in Ciri, cibo opus fuiſſe narrat, quia hæc puerum laviſſet, de qua lotione nos plura in *Puerperio Veterum* commentamur. *Scaligerum* interim juvant Itali, qui Obſtetricem vocant *Commare*, quaſi alteram matrem.

Tantis officiis deſtinata obſtetrix, ut ſingulis par ſit, parentibusque & Reipubl. proſit felici prolis nativitate, magnis animi corporisque dotibus debet eſſe inſtructa. Animum quidem pietate in DEum, fide erga demandatam puerperam exornet; præterea artem calleat, quam exercere in ſe ſuſcepit, ſciatque quid uterus diſtet veſicâ, quæque remedia illius affectibus conducant, & διανόια illa prædita ſit, quam non per intelligentiam ſolam cum *Gaza*, ſed per diſcurſum vulgò dictum *Jul. Cæſ. Scaliger* apud *Ariſtotelem* vertit, ut puerperam ſapienter in utroque eventu regat, & tempora conſideratè captet, nomenque

mereatur *Sage Femme*, quo modo Galli obſtetrices ſuas appellant. Moribus ſit placidis, niſi puerperas inobedientes inveniat, hilaris, ſobria, Medicisque in difficili partu vocatis pareat, unde ſapienter *Albucaſis* l. 2. c. 76: debet omninò obſtetrix non nimium ſibi arrogare & placere, ſed quotidie diſcere a Medicis & vetulis mulieribus in hac arte uſu & longa experientia edoctis. Spem prolis maſculæ ſemper matribus faciat, quod ſuadent *Euch. Rhodio* de Part. c. 4. *Mercurius* l. 1. Obſtetr. c. 18. inprimis ſi maribus delectari puerperam prævideat.

Eo robore corporis & ætatis ſit, quod laboribus ſufficiat, effœta & vidua, monitu *Platonis* in Theætet. quæ tamen antea & concepit & peperit. Cauſam hujus, ſi Socrati fides, Dianam ferunt, quæ cum tori exors ſit, partuum tutelam ſuſcepit: Steriles verò obſtetrices fieri vetuit, quoniam humana natura imbecillior eſt ad artes earum rerum, quas nunquam experta eſt; his autem quæ propter ætatem concipere jam non poſſunt, id imperavit ſimilitudinem ſuam honorans. Contra *Platonem* dubium oritur ex *Exod.* I, 21. ubi obſtetrices Ægyptiæ maritæ eſſe creduntur, quia DEus ædificaſſe illis domos

domos dicitur, quod per auctam ſobolem Ebræorum authoritate quam plures explicant, *Ambroſius*, *Emmanuel Sá*, & *Grotius* vaſtum illud ingenium, ſic enim בנה ſumi *Gen.* 16, 2. & 30, 3. quibus in locis Græci utuntur verbo τεκνοποιεῖν. & inde בן. Alii tamen in diverſa abeunt, nec ad obſtetrices pertinere iſtam poſteritatis benedictionem rati, ſed ad Ebræos ipſos, quia in Ebræo eſt לָהֶם *Lahem*, quod eſt maſculini generis. Cui difficultati occurrens *Jac. Bonfrerius* Comm. in Exod. monet non rarò pronomina iſta maſculina pro fœmininis poni: unde & Paraphraſten Chaldæum hic pronomen fœmininum uſurpaſſe Ita & reſpondet *Th. Malvenda* in Exod. ſed addit, fortaſſe hic obſtetricibus pronomen maſculum tribui, ad indicandum virilem earum animum, quo atroci Regis edicto reſtiterunt. De Obſtetricibus ipſis ſermonem eſſe LXX. *Interpretes* docent: ἐποίησεν ἑαυταῖς οἰκίας, fecerunt ſibi ipſis domos. Per domos multam bonorum copiam interpretatur *Theodoretus* in Exod. Interr. 2. & Auctor *Catenæ Græcæ*, omnium bonorum abundantiam, quibus maximè domus & familiæ exornantur. Vide ejus verba, & alia apud *Jo. de la*

Haye Comm. in Exod. De utroque non malè accipiunt *Interpretes Belgæ*. Et familiæ obſtetricum cognatæ auctæ dici poſſunt, quanquam tum filios generare non potuerint, niſi de ante genitis ſermo ſit. Verbo: DEus divitiis & nepotibus auxit, & familias protexit. Præterea in obſtetricibus laudantur *Gordonio* P. 7. c. 7. manus parvæ, illæ tamen digitos longiores habeant & molliores, qui aliis laboribus callum non obduxerunt, ſani quoque ſint, ne ſcabiem ſuam ſanis puerperarum partibus affricent, cujus ſingulare exemplum habet *Burgeſia* l. 2. Obſ. Obſtetr. cujusdam obſtetricis lue Venerea infectæ, quæ infecit plures quam 35 familias, & diſſidia inſcia inter maritos uxoresque ſeminavit; infecti Viri uxores culpare, & hæ, ſuæ integritatis conſciæ, culpam in maritos conjicere.

CAPUT

CAPUT XIX.

Quomodo inſolitæ partus viæ declinandæ?

MElioris notæ & ſcientiæ Obſtetricem ſi vel Ingeræ fortuna vel patriæ felicitas puerperio huic non invidiſſet, melius res gemellorum proceſſiſſent, & defectus ſeu matris ſeu fœtuum fuiſſent emendati. Enimverò

I. Membranæ choroidis denſitatem ſolidiorem, quam ut ſua ſponte rumpi poſſet, diſcindere debuiſſet, conſilio *Aëtii* tetr. 4. ſerm. 4. cap. 22. idque ſumma ungvium acie temperato ictu, ne quid præterea violaretur; ſuadente *Jaſone à Pratis* l. de Partu & Parient. cap. 4. digitis oleo lilino prius unctis, ex *Heurnio* de Morb. Mul. c. 8. aut ſcalpello inter digitos occultato, quem *Ægineta* l. 3. c. 76. concedit, ſed præcedente ſiniſtra manu, ne ſcilicet aliquid læderetur. *Albucaſis* Chirurgus inter Arabes primæ notæ l. 2. c. 75. utrumque jungit, ſpatumile parvum & unguem. Et *P. Foreſtus*, l. 28.

 Obſ.

Obſ. 75. in ſchol. monet, ut obſtetrix prius tentet unguibus leniter diſcerpere, quam diſcindere. Idem ſuadet *Scipio Mercurius* l. 2. c. 26. ejusque Interpres Germanicus & illuſtrator *God. Welſchius*, qui ferrum ſingulare ſeu lancettam novam excogitavit ſine periculo adhibendam. *Mercatus* l. 4. de Aff. Mul. c. 3. cautè agendum monet, ne fœtui aut matri grave aliquod malum ſubſequatur. Damnat quoque *Burgeſia* cap. 8. eandem rupturam ab obſtetrice factam, propter metum ne umbilicus vel manus, vel pes erumpat, ideoque aquam tepidam & linimenta emollientia magis expedire ad attenuandam membranam. Cæterum ſi periculum ſit in mora, & puerpera debilior quam ut balnea ſuſtineat, fœtusque imbecillior, quam ut vi viam faciat, non reformidamus neceſſariam hanc operationem, quam non ſemel obſtetricibus noſtris injunximus, modo interea provideat, ne manus vel pes elabantur, & ſi fuerint præter expectationem protruſa, ut dextrè iterum in dolorum remiſſione remittantur, caputque quæratur. Sunt & apud nos exempla infortunata: ideò, ne audaciores ſint in hac operatione obſtetrices, ſedulò ſequentes cautiones obſervandæ, ut 1. legitimum par-

partus tempus adſit, nec antea quicquam tentandum. 2. imbecillior ſit & mater & partus, quam perrumpere poſſint. 3. Craſſior ſit membrana quam ut rumpi ex ſe queat, id quod digitis ſuis exploret obſtetrix. 4. In orificio matricis chorion hæreat ad ovi amplitudinem, vi laborantis potruſa, ut eapropter fœtus ipſe intra uterum adhuc retentus diſrumpere eam non poſſit, tumque legitimum partus inſtare tempus Medici conſentiunt. Suaſi his diebus obſtetrici, ut uxori paſtoris unguibus chorion prominens aperiret, in difficili aliquot dierum partu, editaque eſt feliciter grandis puella. Baſſana obſtetrix Patavina admoto ſacchari acuminato fragmento exitum aquis parare ſolet, ſicut narrabat *Jo. Veſſlingius*. Noſtris quoque obſtetricibus ſalis acuti grandioris fruſtulum in uſu eſt.

II. Loci ſiccitatem, ex ruptis ante vota tunicis, emendaſſet albumine ovorum cum malvæ aut fœnugræci decocto excolato, vel oleis amygdalino & liliaceo, panniculis madidis, ſpongiisque in decocto tinctis, peſſulis ex ſevo, exhibitaque potione humectante. Teſtatur *Galenus* l. 15. de Uſ. Part. c. 5. ſuo tempore obſtetrices humores quosdam habuiſſe, quibus in

 tali

tali caſu collum matricum perfundebant: Quanquam & felices partus viderim, poſtquam humor fluxiſſet. Rectè quoque *Melch. Sebizius* Manual. Med. part. 5. ſ. 4. cap. 4. hoc accidens, nempe aquarum effuſionem, cohiberi non poſſe: ideoque operam ſolum dandam, ut parturiens facilius pariat aliis uſurpatis remediis, qualia ſunt, quæ ex cordialium & corroborantium albo petuntur.

III. Anguſtia vaginæ, ſi naturalis ſit in fœminis ſtatura parvis, corrigi levi arte non poteſt. Quis enim etiam maxime anxia cura poteſt ſtaturæ ſuæ vel cubitum adjicere (*Matth.* 6, 27. Induſtria prudentis Medici parvam anguſtiam faciliorem reddi præcipit *Jo. Henr. Meibomius* Comm. in Juſj. c. 15. n. 41. Si igitur ab alia quacunque cauſa exſiccante dependeat, inunctionibus humidis calidisque emendanda. Si caro collo uteri adnata fuerit, innataque aliqua tunica ſolidior, unde imperforatæ fiunt mulieres, aliave impedimenta viam ſolitam partus obſtruxerint, nullum niſi in ferro præſidium, cujus modum tradit *Celſus* l. 7. c. 28, in clauſis fœminarum naturalibus; niſi inuſitato fœtus robore vi viam ſibi fecerit.

IV.

IV. Arctior oſſium conſtrictio inſeſſibus & balneis emollienda, illitionibus, cataplasmatisque laxanda, & poſtea os coccygis obſtinatius reſiſtens, manu ſuaviter nonnihil jacentis, judice *Mercato* l. 4. de Aff. Mul. c. 3. Narrat *Foreſtus* l. 28. Obſ. 70. in urbe Delphis obſtetrices habere mulieres fortes ad ſuſtentationem deſtinatas, ut prægnantes in ſinu ſedeant, vel liberè ſuſtineantur. *Aëtii* monitum eſt tetr. 4. ſ. 4. c. 22: ſi ob lumborum cavitatem pariendi difficultas contigerit, ut puerpera in ſella, prona flexis genibus collocetur, ut vulva delabens cervicem recta extendât, eodemque modo pingues quoque & carnoſas ſiſti. His uſibus commodè inſervit ſella ſemilunæ ſimilitudine excavata ex *Moſchione* c. 47, qualem etiam depingit *Eucharius Rhodio* l. de Part. c. 4. Si verò ſella obſtetricalis non ſit intus fortis, in mulieris femoribus ſedere debet, eodem *Moſchione* authore c. 49. Elegans eſt ſella à *God. Welſchio* inventa & depicta Addit. ad L. 1. c. 23. Obſt. Merc. quam ita accommodat, ut parturiens ſedere in ea poſſit ſi vires conſtent, vel decumbere reclinata ſella, ſi imbecillior ſit puerpera, in quali ſella ſomnum meridianum Itali capiunt, no-

ſtriſque ægris commendare talem ſolemus; ſed pro parturiente excavata eſſe debet. Quod ſi negligentius hic ſe geſſerit obſtetrix, fœtus robuſtior penetrans, loco movebit os coccygis, cujus incommodum per reliquam vitam ſenſiſſe mulieres obſervavi.

V. Mater in fruſtraneo conatu roboranda fuerat; quanquam enim nihil remiſiſſe à labore feratur, debuit tamen ad repetitos labores aptis cordialibus excitari & roborari, ne ſpes ulterior eam ante tempus deſtituiſſe videretur. Conſentire non poſſum *Antonio Everhardo* Medico Medioburgenſi ingenioſo, qui L. de Hom. Exort. p. 268, quia aliquoties obſervavit parturientes in partu difficili robuſtas & fortes, principio non potuiſſe parere, poſtmodum debilitat s & ad extremum deductas, feliciter abſque ullius opera peperiſſe; inde concludit, uteri membranas flaccidiores evadere ſpirituum defectu, & eo modo infanti in lucem edendo exitum procurari. Vera quidem eſt obſervatio, nec nova, ſed cauſa, quam affert, abſurda videtur, & propriæ ſententiæ adverſa. Defectu enim ſpirituum uterus deficit, & auxilium matris fœtui ſubtrahitur, ut ſolus in arena relinquatur. Ex ejuſdem

prin-

Digitized by Google

principiis calor membranas uteri ad extenſionem & flexionem reddit ſequaces, ut hujus beneficio Indicæ mulieres facilius onus uteri deponant, qui calor à ſpiritibus. Hinc, longo labore exhauſtis ſpiritibus, deficiunt vires parturientis, & non raró intereunt. Quod veró ſubinde à labore vel deficientibus vel deſiſtentibus fœminis, facilis partus ſuccedat, alia eruenda eſt ratio. Vel enim ſpiritibus ab utero retractis fœtus ſuo robore perennat, ut ſolus ex loculis muliebribus jam emollitis & dilatatis egrediatur; vel in lumborum cavitate delitefcens, vehementibus conatibus reſiſtit, ſed quieſcente parturiente & leviter inflexo corpore, ſua ſponte per patulas vias elabitur, tumque quieſcente nonnihil pariente, vires aliquas recuperat pro novis laboribus & partu. Certè robur requiri ſeu puerperæ ſeu fœtus, Hiskias indicat 2. *Reg.* 19, 3. & *Eſai.* 37, 3: Pueri ad locum nativitatis pervenerunt, ſed nullum robur adeſt ad pariendum. In Ebræo fonte locus ille nativitatis eſt, *ad fracturam*, quaſi jam vel oſſa pubis vel coccygis diffracta & dilatata ſint, nec tamen partum ullum ſuccedere poſſe ſine robore neceſſario.

VI. Ge-

VI. Gemellos ſimul & ſemel de exitu concertantes digitis ſuis obſtetrix potuit compeſcere, ut alter ad uteri fundum nonnihil retruderetur, donec is, qui partui proximus, educeretur primus, monitu *Aëtii* l. d. Notandæ tamen hic conditiones neceſſariæ. Primò, ne quieſcat neque moram ullam obſtetrix interponat, donec ſeriatim omnes educantur, ſecus enim expultrix vis labefactatur, animadvertente *Euſtach. Rudio* l. 2. Art. Med. c. 61. & *Mercuriale* l. 2. de Morb. Mul. c. 3. Deinde, ut ante, quam primus prorſus ſit extractus, alter manu apprehendatur, ne mutetur ſitus partusque fiat difficilis, annotante *Scip. Mercurio* l. 1. Obſt. c. 27. Id DEI providentia in gemellis Rebeccæ accidit. Nam Jacob manu ſua Eſavi calcaneum, LXX. πτέρνην, *Hieronymo* plantam pedis, apprehendiſſe narratur *Geneſ.* 25, 26. *Oſeæ* 12, 4. Tertio, addit *Welſchius* Doctiſſimus, ut obſtetrix in eodem latere quo alter fœtus latet, leniter ſurſum ventrem comprimat, donec primus ad partum veniat. Eædem cautiones obſervandæ, ſi tergemini vel plures fœtus utero geſtentur, ne ſimul egreſſuri, ſimul omnes extinguantur. *Ariſtoteles* l. 7. Hiſt. An. cap. 5. quinos obſervavit; quandam

enim

enim quater ſingulis partubus edidiſſe quinque, quem ſimili exemplo ancillæ Cæſaris Auguſti juvat *A. Gellius* l. 10. Noct. Att. cap. 2. Septem edidit mulier Florentina Romæ, de qua *Jo. Faber* in Not. ad Hiſt. Mexic. p. 475. Uxorem nobilis D. Darre unico puerperio octo fœtus benè conformatos enixam refert *P. Borellus* Cent. 2. Obſ. Med. 44. Novem Saluſtra, narrante *P. Paul. Pereda* in Schol. ad Paſchal. l. 1. c. 59. Uno abortu 12 puerperia egeſta *Plinius* author eſt. Temporibus Nicolai III. Pont. Romani Anthonia fœmina Mutinæ fuiſſe memoratur in Chronico VII. Ætatum Mſto primum *Pignorii*, poſtea *Rhodii* noſtri, quæ ante ætatis ejus annum 40, ex viro concepit filios 30: nam tantæ fœcunditatis dicitur, ut aliquando quinque, aliquando tres filios uno partu ediderit; undecies autem gemellos, tandemque in partu defeciſſe. Feliciter tot partus numeroſi non ſuccedent, niſi ſucceſſivè poſteriores poſt primum prodeant. Si tamen minores ſint, per amplam regiamque viam ſimul plures exeunt, quod illi, quæ 150, de qua *Albertus Magnus*, & alteri Comitiſſæ Margarethæ trecentos & ſexaginta quinque puerulos puſillos uno partu enixæ, contigiſſe.

tigiſſe ſuſpicor, cujus poſterioris tumulus in Templo pagi Lausdunenſis in Belgio viſitur, & Inſcriptionem recitat *Salmuth* in Nov. Rep. tit. 10. quam tamen propter novitatem ſuſpectam habet *Gaſp. Schottus* in Phyſ. Cur. & ipſe *Foreſtus* l. 28. Obſ. 66. in Schol. pro ſuperſtitioſa narratione traducit: Sed propius ad verum accedere, ſeptem tantum fuiſſe fœtus, quot nempe in anno dies ſunt ſingulis hebdomadibus recurrentes, me olim monuit *Cl. Salmaſius*. De aliis numeroſis partubus videndi *Schenckius* in Obſ. *Sennertus* l. 4. p. 2. S. 4. c. 5. & *Rhodius* noſter C. 3. Obſ. 56.

VII. Si ſitus in utero vitioſus fuit, ut exinde exitus impeditus, intromiſſis digitis inunctis obſtetrix ad legitimum convenientemque poſitum debuiſſet convertere, ſeduloque impellendo, deducendo, flectendo, dirigendo procurare, ut caput primum propenderet, quæ cura hic & ubique obſtetricum eſt. Pedem vel manum editam & extra propendentem, in uterum reducere convenit ea cautione, ut, conatibus parturientis remittentibus, manus immittatur, requieſcatque redeuntibus, qua occaſione captata negotium facile erit & expeditum. *Celſus* l. 7. c. 29. iſtam

occa-

occaſionem deſcribit, prorſus neceſſariam, ſed plerisque obſtetricibus ignotam, ut mirum non ſit, infelicium partuum exempla multa proſtare. Quid verò agendum, ſi caput fœtus grandius anguſtas naturæ vias perrumpere nequeat? Idem dubium monſtra bicipitia concitant, quæ tamen promptè edita hiſtoriæ teſtantur collectæ à *Fortunio Liceto* l. de Monſtr. patentibus ſine dubio laxatisque naturæ clauſtris. Medicamenta expellentia fortia juſtis de cauſis hic proſcribo, quæ plus mulieri noſtræ parturienti damni quam commodi attuliſſent, partim quod inſueta illi eſſent, partim quod dolores augerent parum profuturos anguſtâ viâ obſtante, partim quod fœtum, exire non valentem, coëgiſſent uterum rumpere, ſicut id notatum *Salmutho* Cent. 1. Obſ. 16. & antea *Hildano* Cent. 1. Obſ. 64. ore matricis anguſto exiſtente cum valido niſu. Educi tamen fœtus mortui debuiſſent. Fateor. Sed quia alia via non ſucceſſit, vi attractionibus quibusdam educendi, hortante *Abenſina* l. 3. fen 21. Tr. 2. c. 28. & *Haly Abbate* l. 8. Prax. c. 26. vel diſſecandi primum tumque extrahendi, ex conſilio *Aëtii* tetr. 4. ſerm. 4. c. 22. & *Æginetæ* l. 3. R. Med. c. 76. ſive uncis aliisque inſtrumen-
tis

tis Chirurgicis, fusè deſcriptis & depictis à *Celſo*, *Paulo*, *Aëtio*, *Paræo*, *Aquapendente*, *Ronſſeo*, *Sculteto*, ſive manu unctâ ſolâ, quod probat *Fr. Ranchinus* de Morb. Part. ſect. 2. p. 162. ea tamen cautione, quam ille poſt *Æginetam* l. 6. de R. Med. c. 74. *Jo. Heurnium* de Morb. Mul. c. 8. *Ronſſeum* de Vit. Primord. c. 23. annotavit, ſi, ſignis collectis, evaſuram mulierem Medicis appareat, alioqui diffamanda non ſunt præſidia, quæ plurimis fuere ſaluti.

VIII. Occaſionibus his neglectis, ſeu obſtetricis culpâ, ſeu Medicorum defectu, ſeu valentiore quocunque Naturæ vitio, ſuperſtite matre, fœtus mortuus in utero relictus ſectionem Cæſaream poſtulaſſet, quam contra *Varandæum* l. 2. de Morb. Mul. c. 6. *Mart. Akakiam* l. 2. de M. Mul. c. 15. tutam & neceſſariam dicimus, rationibus & experimentis *Roſſeti* & *Raynaudi* freti; quanquam *Varandæum* Præceptorem ſuum in Præf. novæ editionis ad Lectorem nuper piè excuſet, præceptore major *Henricus Gras*, Medicus Lugdunenſis, quod dies diem doceat. Negligentiam verò mortalium Naturæ providentia emendavit vel ſupplevit, & viis inſolitis collecta in apoſtemate oſſa excrevit, modo per umbilicum,

bilicum, modo per alia loca vicina, quamprimum ulcus auxiliari manu aſtantium deſtituebatur.

CAPUT XXI.

Dubia nonnulla in Caſu hoc raro propoſita & ſoluta.

ANtonius *Deuſingius*, in Academia Gröningana Profeſſor Celeberrimus, Amicus Magnus, in amica Caſus hujus mulieris à me illi propoſiti reſolutione, varia monet urgetque, ut illuſtretur Diſſertationis noſtræ argumentum, hic repetenda & pro epilogo expendenda, quia ſerius mihi ab amico exhibita. Ita autem ille in Hiſtoria Partus infelicis, ad me ſcripta, loquitur:

Cùm exigas à me Vir Excellentiſſ. judicium de hoc Caſu, in Tui obſequium quid ſentiam depromam. Varia equidem hic poſſunt in conſiderationem venire. Nam 1. Dubium fortè poteſt videri, an ullo ſigno geſtatio gemellorum (quos eventus in caſu arguere videtur,) colligi queat? Utique ipſe abdominis tumor ge-

Digitized by Google

mellos minimè comprobat, utpote qui nonnullis unum fœtum geſtantibus major eſſe poteſt, quàm aliis quidem geſtantibus gemellos: nec certi quid arguit protuberantia in latera, quia quandoque ex æquò ab uno itidem fœtu contingit utrinque; ac ubi gemelli geſtantur fieri poteſt, ut protuberantia in alterutro latere major ſit. *Hippocratis* quidem effatum novimus *aph.* 48. *ſect.* 5. *Fœtus mares dextrâ uteri parte, fœminas ſiniſtrâ magis geſtari:* quæ pridem quoque *Parmenidis* & *Empedoclis* opinio fuit: at quam nec Rationi nec Experientiæ congruere, ab *Ariſtotele* oſtenſum 4. *de gen. anim. cap.* 1. Et Experientiæ quidem id ipſum ſæpius contrarium eſſe confirmat *Harvæus de gen. anim. Exerc.* 69. comprobaturque idem *à* T. Clar. *cent.* 5. *obſ.* 88. Quin & ipſe *Hipp. in lib. de ſuperfœtation.* Si ſemen viri ſit bene concoctum, calidum & robuſtum, & illud in duos ſinus uteri diſtribuatur, in duobus illis ſinubus mares duos gemellos concipi ait. Certè multa hæc opinio ſupponit vel falſa, vel ſaltem incerta de ſeminis virilis quoad corpulentiam in uteri cavum ingreſſu, refutato ab *Harvæo*, (de quo & à nobis in *Microcoſmi Geneſi*, eidemque adjectis *Curis Secundis*) impræſentiarum nihil

Digitized by Google

nihil dicam: Saltem perperam & contra ἀυτοψίας certitudinem uteri humani cavo duo ſinus tribuuntur, cùm ſola lineola cavitatis unius ejusdemque regionem utcunque diſtinguat; ac fœtus contentus totum uteri cavum ex æquo undiquaque adimplere deprehendatur. Loquor de utero humano: nam alia ratio eſt uteri brutorum viviparorum, quæ pleraque uterum in cornua utrinque habent diductum, fitque horum conceptus non in uteri propylæo, ſeu potius non fit in cavitate communi, ſed in cornibus uteri, & quidem ſæpius mares in ſiniſtris, fœminæ in dextris (vel ſaltem promiſcuè,) ex *Harvæi* obſervatione. A ratione id quoque alienum cenſemus, eſſe dextras partes ſiniſtris calidiores; atque à dextra parte calidius utero ſemen obtingere. Nec quicquam huc facit, quòd vena ſpermatica dextra à cava, ſiniſtra ab emulgente originem ducat; hæc enim perſuaſio ex ignoratione circulationis ſanguinis eſt genita, quâ conſtat non per venas ſed per arterias, (quæ utraque ab aorta procedit,) ſanguinem ſpirituoſum ad teſtes deferri: ut adeò & illa *Heurnii* correctio ſit vana & inutilis, qua *in comm.* ad *aph. alleg.* quibus dextrum vas ſpermaticum à renali,

Digitized by Google

inquit, & ſiniſtrum à vena cava deſcendit, iis ſiniſtrâ mares, dextrâ verò uteri parte potiùs fœminæ geſtantur. Sed circa ipſam quoque ſeminis materiam fortaſſe non omne dubium expeditum eſt. Fallacia mammarum indicia nunc mitto.

2. Hoc dubium in caſu præſenti nobis occurrit, an *labores* primi, *duorum dierum*, legitimo partus tempore obtigerint; vel an non potiùs poſt ſeptimum menſem geſtationis præmaturi labores geſtanti fuerint oborti, iterumque dolores illi ſedati ad decimum usque menſem, nempe ad tempus legitimum. Non congeram hîc multa de ſeptimeſtri partu, frequentiore quàm octimeſtri, ejusdemque cauſis: de quibus *Hippocrates*, & alii paſſim. Saltem dubium eſſe poteſt, an poſt irritos labores, legitimo quidem ac naturali partus tempore obortos, ſupervivere fœtus in utero potuerit ad ſex ſeptimanas, tumque demum ad novum exurgere motum? Haud equidem ignoro, homini præ aliis animalibus incertum pariendi eſſe tempus, quod ipſum quoque ab *Ariſt.* 4. *de gen. anim. cap.* 4. & 7. *Hiſt. anim. cap.* 4. itemque *Plin. lib.* 7. *H. N. c.* 5. aliisque inculcatur: Sed illud incertum tempus potiùs intra

intra decimum menſem, ceu terminum ordinarium, reſtringi exiſtimem, quàm ulteriùs excurrat. Referuntur quidem tum à Veteribus tum à Recentionibus varia exempla fœtuum *undecimo*, *duodecimo*, *decimo tertio*, *decimo quarto*, *decimo quinto* menſe geſtationis natorum, quorum nonnulla ex aliis commemorat *Spigel. de incert. temp. part.* ac *Harv. Exerc. de Partu* exemplum refert fœtus ultra *ſedecim menſes* in utero geſtati; quin imò *viginti tres menſes*, item *duos* atque etiam *quatuor annos* geſtatorum mentionem facit *Hieron. Mercurial. in Conſil.* Sed circa tales, ſi quidem vivi naſcantur in lucem, plerumque id putem locum habere, quod ſtatuit *Hipp. lib. de Natura pueri. Nim.* Si quæ *ultra decem menſes* utero geſtare ſibi viſæ ſunt, eas hoc modò fallere: *Cùm uteri*, inquit, *à ventre flatum ſuppeditante ſpiritu diſtenduntur, & intumeſcunt, tunc mulieres ſe concepiſſe exiſtimant: Et ſi menſes minimè prodeuntes longiorem moram fecerint, &c. tunc in tumorem ſublatis uteris mulieres utero ſibi geſtare videntur:* &c. At ubi pòſt conceperint, *harum rationum ac rerum ignaræ, eo tempore ſe concepiſſe reputant, quo menſes ſuppreſſi erant, & uteri intumuerant.* Eadem mens eſt *Ariſt.*

K 3 qui

qui ideo 7. *Hiſt. anim. cap.* 4. circa eos *qui undecim menſibus diuturniores ſunt*, mulierem ſui conceptus initium latuiſſe contendit: *Latet enim mulieres*, inquit, *conceptus initium, ſi, cùm antè inflatus fuerit uterus, ut ſæpè accidit, pòſt coierint, & conceperint. Hoc enim principium eſſe ſui conceptus exiſtimant, quod ſimile indicium attulit.* Quamvis igitur ante *decimum menſem* (quod ordinarium tempus eſt,) vitales partus fiant aliquando *ſeptimo, octavo, nono* menſe, ut inculcat *Ariſt. loc. cit.* quin imò & quandoque *quinto vel ſexto* menſe, ſi vera ſunt exempla quæ refert *Harvæus de Partu*, ex *Valeſ. Spigelio, Avicenna*; (de qua re pluribus in *Microcoſmi Geneſ. part.* 3. *ſ.* 2. §. 83. & *ſeqq.* diſſerui;) an tamen æquè poſt ordinarium tempus, quod *decem menſium* definit *Hipp.* partus in longius tempus dilati vitales exiſtant, id majorem fortè difficultatem involvit: Equidem cenſui ego *alleg. loc.* §. 94. ordinario quidem tempore illo Naturam criſin, quæ ad partum tendat, moliri ſolere, ſive ea perfecta, ſive imperfecta ſuccedat, ſive ad ſalutem, ſive ad mortem; fieri autem poſſe quandoque, ut poſt tentatam criſin non ſuccedente fœtus excluſione, mater & fœtus in vivis ſuperſint;

ſint; at hæreat etiamnum ad tempus in utero fœtus, donec novam excretionem natura moliatur, fœtusque cum natura conamen intendat: Sed addidi, id eo duntaxat caſu evenire poſſe, (meo quidem judicio,) cum etiamnum copioſi humores intra amnion circumfluunt fœtum, ipſamque liberiorem reſpirationem arcent, quam exurgentem, abſumpto intra amnion liquore, imponere ſenſim neceſſitatem partui, expoſui *ibid.* §. 71. & *ſeqq.* Utique patet ex iis, quæ illic declaravi, non poſſe fœtum reſpiratione carere, ſimul atque cœpit reſpirando aërem in pulmones adducere; ac rareſcentibus pulmonibus neceſſariò liberiorem reſpirationem affectare, vel in utero emori. An autem poſſit poſt decimum menſem, (cùm copioſiore fœtus alimento jam indiget,) per multas hebdomadas tantum in amnio humorum ſupereſſe, quod omnem planè reſpirationem impediat, id jure merito tale crediderim de quo poſſit dubitari: Nec ſine ratione mihi quidem videtur, poſt varia diducta, definitum *à Paul. Zacchia Quæſt. Medico-Leg. lib.* 1. *tit.* 2. *quæſt.* 6. ſupra decem dies ultra decimum menſem vix unquam portari poſſe fœtum vitalem.

Digitized by Google

Sed 3. Poſito, quòd fortè in caſu præſenti vixerint fœtus ad ſex ſeptimanas, poſt tempus partus legitimum & ordinarium, ut adeò *iterum poſt ſex hebdomadas* a prioribus laboribus, (ſeu duodecimo menſe geſtationis,) ſub ſecundo conamine, *motus* novus infantum in utero contigerit; quî potuit ille *quinque annorum ſpatio perdurâſſe?* quî potuit fœtus, præpeditus in exitu, tam diu in corpore materno vixiſſe? Plures equidem hiſtorias fœtuum, qui biennio, triennio, & quadriennio in utero materno fuerint geſtati, commemorat *Zacchias loc. alleg.* §. 2. *à Schenck. lib.* 4. *Obſerv. tit. de Partu* allegatas; ſed eas *fabulis* & *portentis* annumerat; ac pari illas loco conſtituit cum fabula illa apud *Trigaut. lib.* 1. *de Chriſt. exped. apud Sin. cap.* 10. quâ fabulantur Chinenſes, quendam eorum Philoſophum nomine Lauzu, octuaginta annis in parentis alvo fuiſſe geſtatum. Crediderim ego illum *motum* partim ex fermentatione quadam vitioſorum humorum, partimque ex flatibus excitatis fuiſſe obortum. Ita refert *Harvæus Exerc. de Partu*, ſe noviſſe matronam nobilem, quæ plus decies enixa fuerat, quamque menſtruorum ſuppreſſio citra prægnationem nunquam fefellerat;

poſtea

Digitized by Google

poſtea autem alteri denuptam, præter alia ſigna ſolita, ex *motu* quoque, (quem ipſa, ſororque ejus juxta cubans, ſæpe noctu ſentiebant,) ſeſe gravidam judicâſſe, neque ab ea opinione ullis argumentis dimoveri potuiſſe, donec tandem ſpes omnis in *flatus* & pinguedinem faceſſeret. Simile exemplum refert ibidem juvenculæ, quæ ſymptomata omnia prægnantes comitari ſolita experiebatur, ipſumque *in utero motum*, jamque indicia imminentis partus adeſſe rata, cubile, incunabula, cæteraque ad partum neceſſaria, in procinctu habuit: ſed fruſtra omnia; *motus* enim ceſſâſſe, & ventrem detumuiſſe, absque ulla ægritudine. Similem juvenculam ante biennium hîc ipſe ſub cura mea habui, quæ omnia ad partum, jamjam imminentem, ut putabat ipſa, parârat; at cujus ſpes omnis in flatus evanuit.

4. Sed ſi ergo fœtus, in præſenti noſtro caſu, credendus videatur non ampliùs vixiſſe, dum motus ille quinquennalis perduraret, quid accidit circa fœtum, vel potiùs gemellos, quos utero geſtaſſe prægnans videtur? Veriſimile exiſtimo, ſub ſecundis laboribus (qui tempore legitimo, ac naturæ conſueto, ſc. ſex ſepti-

manis poſt priores illos præmaturos ſedatos, denuò fuerint exorti,) cùm irritus hîc iterum, ut antè, eſſet excluſionis conatus, ſuo motu infantes validiores tandem perrupiſſe ipſum uterum, atque in abdomen proruiſſe; ibidemque extinctos (vel quòd abruptus umbilicus cum ſanguine vitam ipſam profuderit, vel quòd requiſitæ reſpirationi commodus locus deeſſet) in putrilaginem temporis tractu abiiſſe. Sic in utero quoque fœtus extinctos in putrilaginem abire, exempla teſtantur. Perire intus conceptum, inquit *Harvæus Exerc. de Partu* & in putrilaginem verſum ſenſim indies (tanquam fluores albos,) emanare, nonnunquam obſervavimus, tum in mulieribus, tum etiam in aliis animalibus. Erat non ita pridem Londini mulier, inquit, quæ, poſt ejusmodi abortum, concepit denuò; debitoque tempore infantem peperit; poſtea verò, interpoſitis aliquot menſibus, dum conſueta obit munia, ſine dolore & ægritudine aliqua inſigni, prioris abortus oſſicula nigra fruſtulatim ejecit, &c. In *Harvæi* equidem iſtoc Exemplo dubitari poteſt, an mulier illa *bipartitum* fortè *uterum* habuerit; velut dubitat *Bauhinus in Append ad lib. Rouſſeti de part. Cæſar.* itemque *Theatr.*

Theatr. Anat. lib. 1. *cap.* 38. *pag.* 127. an mulieres, quæ ſuperfœtare ſolent, aut plures fœtus quàm duos generant, *bipartitum uterum* habeant, ut canes, lepores & ſimilia animalia, quæ multos generant fœtus? cujusmodi muliebrem uterum aliquando inventum commemorat ibidem. In præſenti noſtro caſu putrilago effluere, ipſaque oſſa prodire per muliebria nequivêre, utpote in ipſa abdominis capacitate (dum uteri hiatus coaleſceret denuò, quod facilè fieri à *Rouſſeto de partu cæſareo* aliisque per exempla oſtenditur) undiquaque concluſa: quæ poſtmodùm, facto ad umbilicum ſponte naturæ foramine, pro exitu contentorum, per id ipſum emanarunt. Sic & materiæ purulentæ in pectoris cavitate longiſſimo tempore concluſæ exempla ſunt obvia, nobisque non uno caſu obſervata, ad quos *aph.* 15. ſ. 5. non videbatur pertinere, non niſi ad illos qui ex pleuritide empyi fiunt referendus, quod etiam *Gal. in comm.* inſinuat. Prout autem corpora infantum, abdomine matris concluſorum, ſenſim in putrilaginem abierunt, ipſaque oſſa eorundem ſenſim propiùs ad invicem collapſa ſunt, quin & materiæ contentæ portio aliqua forſan calore diſſipata eſt, vel intra vaſa abſorpta, ac ſenſim

Digitized by Google

ſim à natura quibuſcunque tandem viis expulſa; ita *ſenſim* geſtans *obſervavit* molem in abdomine contentam *conſtringi & imminui*. In difficili equidem partu disrumpi quandoque ipſam uteri ſubſtantiam, ac fœtum prolabi in abdominis cavitatem, nec alienum à ratione eſt, nec caret id ipſum evidenti experientiâ: Quod tamen in *Fœtu Muſſipontano*, (cujus Caſum pronuper Celeberrimus D. *Strauſſius* exhibuit cum erudita Reſolutione,) nequaquam potuiſſe locum habere, oſtendi pluribus in Tractatu, quem *Fœtus extra uterum in abdomine geniti Secundinas* libuit inſcribere, *Sect.* 20. nec non in *Fœtus ejusdem Vindiciis* (adverſus Tenebrionem, qui *Blotteſandæi* nomine ficto varia noſtra arrodere inſtituit,) *Sect.* 3. Unde in *Conſideratione Phyſico-Anat.* Caſus illius à D. *Strauſſio* exhibiti, oſtendere conatus ſum, *Fœtum* illum *extra uterum in abdomine genitum* fuiſſe, nempe in uteri Tubis, quam item fuiſſe Tuæ Excell. ſententiam, in judicio lato circa Caſum eundem, ex iis cognovi, quæ poſtmodùm Celeberrimus D. *Strauſſius* collegit, ac denique T. Excellent. *Hiſt.* 72. *cent.* 6. Cæterùm alias ſæpius in partu difficili, vel & alio caſu, fuiſſe uterum disruptum, ac fœtum prolapſum

lapſum

lapſum in abdominis cavum, ibidemque ſenſim in putrilaginem abiiſſe, ſicque ipſam ſemiputridam, vel purulentam materiam, ipſaque oſſa tandem affectata per abdomen via prodiiſſe, liquere poteſt exemplis allatis à D. *Bauhino in Append.* ad *Rouſſetum de Part. Cæſario, Hiſtor.* 5. & 6. quorum prius item commemorat *Platerus obſ. lib.* 1. *Tit. Part. defect.* ut nunc prætermittam *Salmuth. obſ. med. Cent.* 1. *obſ.* 16. *Sennert. lib.* 4. *prax. part.* 1. *ſ.* 2. *cap.* 17. aliosque plures aliorum exempla referentes, itemque *Albucaſin*, *Marcellum Donatum*, *Marſilium Cagnatum*, *Jo. Langium*, à Te allegatos prædictâ *Hiſt.* 91. *Cent.* 6. Nec mirum utique, Naturam hîc fœtum putreſcentem, vel oſſa ejusdem, per abdomen excludere, quæ aliàs paſſim materiam quamvis irritantem ſibique moleſtiam creantem protrudit ac propellit, ac propellendo materiam, eidem interim exitum parat. Sic oſſium fragmenta, utut ipſis vulneribus vel ulceribus occluſis, per carnes ſanas à natura protunduntur, atque ad exitum urgentur. Sic refert *Hildan. cent. obſ.* 54. & *cent.* 5. *obſer.* 75. *à Laurentio Jouberto* oſtenſum fuiſſe cultellum obtuſum, qui panno obductus ab opilio-

ne

ne alteri cuidam vi in os ingeſtus & per gulam dimiſſus fuerit, totoque biennio in corpore deliteſcens, tandem abſceſſu in inguine facto, fuerit excretus, ipſeque æger curatus, qui per ſeptennium ſupervixerit. Hiſtoriam refert *Sennert. lib. 5. pract. part. 4. cap. 5.* Studioſi cujusdem, cui cùm vulnus cultro infligeretur ad naſi radicem, internumque oculi angulum, cultri vi fracti dimidia pars, digiti fere longitudine inibi infixa hæſerit, quæ poſt anni quadrantem juxta columellam in faucibus prodiit, ibidemque à Chirurgo exempta eſt. Simile exemplum hîc quoque Gröningæ contigit ante aliquot annos, ut nempe homini, cui culter per os ſyncipitis fuerat adactus, longè poſt tandem à vulnere ſanato diffracta cultri pars media circiter juxta columellam prodiret, ibidemque eximeretur. Aciculam aliquando, quam deglutiverat puer, per ſcrotum prodiiſſe, memorat *Heurnius*. Plura id genus exempla prætereo. Certè fœtus illi in noſtro Caſu extra uterum prolapſi in abdominis cavitatem, moleſtiam ibidem Naturæ creârunt, ipſaque oſſa pungendo, ac moles premendo, dolores continuos in abdomine excitarunt, quæ adeò Natura, quà potuit commodè propellere inſtituit,
foramine

foramine facto in ipſo umbilico priùs intumeſcente, pro exitu putrilaginis atque oſſium fœtus unius forſan; alteroque vicino, pro exitu oſſium fœtus alterius. Interea hi fœtus, diſruptis membranis atque uteri ſubſtantiâ, in abdomen prolapſi, nullo illic in volucro fuere inveſtiti, alioqui nequaquam per partes prodiiſſent: at aliter ille *Muſſipontanus*, intra uteri cornu perpetuò concluſus, cujus tunicam craſſiorem pro involucro habebat: hi nullis ligamentis alligati ullis partibus vicinis; at *Muſſipontanus* peritonæi productiones, ipſum uteri cornu hinc inde nectentes, pro ligamentis quaſi habere videbatur: hi in locum alienum cum violentia prolapſi, ſubitòque extincti, non potuêre non in putrilaginem abire; at ille, in loco ſui conceptus remanens concluſus, cum vita ſenſim eſt exutus eâ corporis diſpoſitione quâ ad putredinem inclinaret, ſenſimque lapideſcens, ſicque à putredine immunis redditus, eodem ſtatu permanſit, eodem loco naturæ minùs incommodo detentus, quo nempe ab initio fuerat conceptus. Dehiſcente autem in præſente Caſu præ tumore umbilico, primùm aliquot diebus, dum ſcilicet nondum eatenus pateret umbilici foramen, (quod moliebatur natura,) ut

ut contenta in abdomine materia promanaret, aqua limpida prodiit, fortaſſe ex nonnullis lymphaticis Tuis, vel fortè roriferis Bilſii dimanans, vel ipſe ſeroſus ſanguinis humor, ſive ordinarius ſive ſuperfluus (nam & diuturno morbo cacheĉticam pridem evaſiſſe mulierem veriſimile videtur,) faciliùs epidermide per umbilici tumorem ruptâ exſudans, ut ſolet paſſim poſt veſicationes aut excoriationes cutis accidere: At foramine magis patulo evadente, ipſaque carne dehiſcente, ex ruptis vaſculis ſanguis porrò profluxit; donec tandem hiatus in abdomen pateret, ac contentæ materiæ ſanioſæ ac purulentæ exitum daret; poſt quam oſſicula præter naturam contenta, naturâ heterogeneam hanc molem reſpuente, longo tempore prodibant, ipſumque foramen apertum ſervabant; Quod cùm poſt plurium annorum lapſum fuit tandem occluſum, nondum omni materia moleſtante excluſa, vel quòd fœtus alterius oſſicula forſan aliorſum divergerent, pro ratione loci in quo computruerat, his aliud foramen a natura eſt factum, quo exitum invenirent. Sic equidem Natura ſibi eligit vias, pro expellendis præter naturam contentis, ad quas ipſa contenta, quæ urgent naturam, inprimis

inprimis inclinant. Hæc paucis volui ad Caſum, à Tua Excell. memoratum, Tuo judicio ſubmittere: Nequaquam quòd putem, me videre hîc poſſe, quod ipſe non videas exactiùs & perſpicaciùs; ſed ut promptiſſimum ad obſequia Tui Tibi comprobem animum, moremque Tuis deſideriis geram.

Quæ prompto calamo & ingenio, vel ad hiſtoriam noſtram doctè explicandam, vel nervoſis dubiis illuſtrandam, commentatus jam eſt Celeberrimus *Deuſingius*, in amplum mutui candoris & amoris teſtimonium, talia ſunt, ut, ſi largiore facundia vel eruditione illi reſpondere præſumam, ingenii mei macies & calami feſſi obſequium fruſtra ſolicitetur. Pleriſque amicè applaudo, at de reliquis pro Ingera noſtra, quæ anſam dedit inuſitata referendi, captabo occaſionem, verſis jam ad exitum rebus, quam breviſſimè explicare, de quibus ſcilicet dubitari poſſet.

I. An ullo ſigno geſtationem gemellorum colligere potuerit Ingera noſtra? Credo ego meram eſſe conjecturam, ſiquidem nullum ſignum certum datur ante, quam in lucem gemelli prodeant. Non tumor abdominis, qui major in ſimplici

fœtu aliquando, quam in gemellis, ſicut optimè laudatus *Deuſingius* ſcripſit; nec motuum diverſitas, quam non rarò in gravidis ex uno embryone tantam obſervavi, ut juraſſem gemellos utero claudi: & in gemellis motum adeò exilem vidi, præſertim ultimis menſibus, quia, arctius inter ſe connexis gemellis, locus pro motu deficeret, ut pro ſimplici fœtu vix ſufficiens videretur. Novi tamen quæ falſæ non ſunt in divinatione, quod caſu eveniſſe ſuſpicor. Non enim uterus eſt bipartitus, ſed veſicæ ſimilis, in qua, præter communem quandam cavitatem, nulla altera apparebat in muliere Ferrarienſi gemellos pariente & per Cananum ſecta, referente *Amato Luſitano* Cent. 1. Cur. 27. Nec id indicat externa linea medium abdomen dividens, quod aliqui pro certo ſigno habent, ſed ego falſum in uxore mea deprehendi. *P. Packequus* Obſ. 45. ad Riverium, ultimis menſibus brevi tibias & pedes inflari, inter gemellorum ſigna numerat, non invita experientia; ſed perpetuitatem & in hoc & aliis indiciis deſideramus. Rebecca geminos ſe geſtare ex motu vehementi quaſi inter ſe colliſorum embryonum ſuſpicabatur, quam DEus ſuſpicionem deinde conſultus con-

firmavit

Digitized by Google

firmavit *Geneſ.* XXV, 22. 23. 24. Dubitaverat tamen ipſa, quod liquet ex commate 23, antequam Deum in conſilium vocaret; nec mirum, quum primipara eſſet, & ſignum ex motu embryonum ante pro gemellis non interpretaretur certò, quia dubium, quam DEus ad dignum vindice nodum acclamaretur. Indicia verò, quibus inducta fuit noſtra Ingera, ut gemellos ſuſpicaretur, ſuppeditavit oſſiculorum copia, ſenſim poſt tot annorum moram excreta, quæ unius infantis eſſe non poſſet. Quæ penes me ſervantur oſſicula, numero plura ſunt, quam pro uno fœtu, inprimis capitis, & fatetur mulier hæc, numero totidem abjecta fuiſſe & neglecta.

II. De nihilo non eſt, quod in præſenti caſu dubitat Cl. *Deuſingius*, an labores primi duorum dierum legitimo partus tempore obtigerint; vel an non potius poſt ſeptimum menſem geſtationis præmaturi labores geſtanti fuerint oborti, iterumque dolores illi ſedati ad decimum usque menſem, nempe ad tempus legitimum. Quanquam enim ita quandoque fieri poſſit, tamen exiſtimo, ex relatione fœminæ, legitimum maturi partus terminum fuiſſe, quo dolores utero oborti, &

 ad

ad puerperium omnia comparaverat harum rerum gnara. Fruſtrato verò partu, an ſupereſſe potuerint in viva matre fœtus ad duodecimum menſem, ſi quæras, vero ſimile non credo, tanto tempore requieſcere potuiſſe ſine aliquo vitæ indicio, quod nullum fuiſſe, puerperæ teſtanti credimus. Recitat hiſtoriam *Horatius Augenius* l. 2. de Hom. Part. c. 26. Lucretiæ Amici Scalini Camertis neptæ, quæ transacto decimo menſe, nec parturiente, dubitare cœpit an gravida eſſet. Ad Conſultationem verò cum aliis vocatus *Augenius*, & geſtare uterum, & malum habere habitum dicebat. Erant autem conjecturæ præcipuè tres, quæ in utero habere mulierem oſtendebant. Una, quod lac in mammillis haberet, licet paucum & aquoſum: altera erat motus in utero perceptus à muliere judicioſa, & quæ alios portavit filios. Tertia, quod ſeptimo menſe & nono, quibus naſci ſolet homo, motus magis conſpicuus apparuerit. Hæc annui partus hiſtoria, tempus quidem ad menſem duodecimum extendi poſſe docet, ſed motu interea embryonis ſe prodente, qui cum ceſſaverit apud noſtram ſpatio VI. hebdomadarum, vitam gemellis ſuperfuiſſe perſuadere mihi vix poſſum.

Motus

Digitized by Google

Motus enim vitæ indicium, quo non aliud certius aut prægnantes habent, aut Medici de vitâ fœtus judicaturi. Id illuſtrare lubet exemplo iſtius mulieris gravidæ ſeptimeſtris Bruxellanæ, quæ A. C. 1633. convulſionibus epilepticis die Jovis circa nonam veſpertinam ſuffocata credebatur. Die Veneris ſpuma ex ore matris prodiit, exauditus murmurillus, quaſi vagientis infantis in utero matris, tumque venter ab aſſidentibus obſervatus attolli ac deprimi. Die Sabbathi circa decimam matutinam profluvium ſanguinis coëgit adſtantes denudare corpus, & intra femora matris provolutus infans deprehenſus adhuc calidus. Inde nata quæſtio, An fœtus extinctæ matri tamdiu ſuperſtes fuerit, ut poſt 36 horas ab interitu matris, vivus ſuopte impetu ab ergaſtulo ſuo erumpere potuerit? Propoſita illa fuit Medicis Gallis tum Bruxellis degentibus, inter quos erat *Jo. Riolanus*, quorum reſponſum in Anthropologiæ ultimæ l. VI. c. 8. legitur. Miſſa quoque fuit ad Medicos Patavinos, quorum reſponſiones in Synopſi editæ fuerunt cura Magiſtri *Serafini* Patavini Auguſtiniani, quam hic repetere placet, non facilè cuivis obviam.

Ad Primum: *Utrum infans poſt obitum*

Digitized by Google

matris potuerit naſci, ſi non vixiſſet tempore ſuæ nativitatis? Ex communi fere omnium conſenſu ſtatuitur, infantem tempore nativitatis ſuæ omninò vixiſſe, quod comprobatur ex eo, quod ante partum validè in corpore materno commotus fuerit, atque in ipſo partu ventrem matris ſublevaverit. Supervixiſſe etiam ad tempus, poſt partum, a nemine negatur, quia vagitus infantis evidenter perceptus fuit. Confirmat idem corpuſculi tepor, labiorum rubor, & genuum divaricatio, atque eorundem poſtea ſupervenient frigus & rigiditas. In illo diſſentiunt: Utrum infans natus fuerit in ipſo agone mortis maternæ; an verò mater prius mortua, & paulo poſt infans ex utero prodierit. Priorem ſententiam tenent illi, qui exiſtimant matrem, ob ſalivam apparentem & calorem circa ventrem ac lumbos perſeverantem, (ut in multis fieri ſolet epilepticis mulieribus) non fuiſſe verè mortuam, ſicut adſtantibus videbatur. Poſteriorem amplectuntur illi primò, qui indubitata fidei exempla adducunt, infantium ſcilicet paulo poſt extinctas matres ex utero erumpentium: deinde quod facta commotione corporis materni, nocte ſubſequente obſervata, nulla

nulla amplius ſigna vitæ præſentis apparuerint.

Ad ſecundum: *Utrum ſecundum Naturæ curſum, & rationem naturalem non ſequatur, ut res vera & neceſſaria, dictum infantem vixiſſe poſt ſuam nativitatem, & quod per copercula, aut aliter per materiam ſanguinolentam fuerit extinctus, & ſuffocatus?* Ad hanc quæſtionem communi conſenſu determinatur, infantem, partim ob nutrimenti defectum, corpuſculi laſſitudinem, ſanguiniſque malignitatem, partim verò quia pronus jacuit, & ſtragulorum pondere oppreſſus ſecundiniſque implicitus fuerit, ſuffocatum interiiſſe.

Et Pariſienſibus & Patavinis Medicis pro fœtus vitalitate argumenta motus ſuppeditavit, qui cum in noſtris gemellis tot hebdomadis obſervatus non ſit, neque interea vitam habuiſſe credendi ſunt.

III. Multò minus poſtliminio quaſi reducta vita per quinque annos in utero perdurare potuit, quanquam id ſibi Ingera falsò perſuaſerit. Noſtræ igitur pronuper in hac Diſſertatione productæ conſona eſt Cl. *Deuſingii* conjectura, motum illum partim ex fermentatione quadam vitioſorum humorum, partimque ex flatibus

 exci-

excitatis fuiſſe obortum: quanquam nobis videamur propius ſcopum ferire, quando ebullitionem a putredine carnoſarum partium hic expreſſimus, quæ tamdiu obſervata fuit, donec ſola oſſa ſicca remanſerint. Flatus ſolos mihi ſuſpectos reddidit *Horatius Augenius* l. d. qui contra eos, qui motum, quem in utero Lucretia perceperat, fieri à flatuoſo ſpiritu contento in utero ob magnam viſcerum imbecillitatem affirmabant, tribus argumentis inſurrexit. Primum quidem, quod flatuoſus ſpiritus non dedebat facere negotium magis uno, quam alio menſe; flatus enim continuam inferre debuiſſet moleſtiam: ſecundò, flatus, dum movetur, dolorem facit; at hic motus erat ſine dolore. Tertio, mulier erat maximè experta in diſcernendo motum à flatu & à puero. Eædem difficultates urgent flatus, quos Ingeræ noſtræ aſſignamus, hoc tamen diſcrimine, quod ſine dolore non ſenſerit. Cætera, continui non fuere, nec eſſe debuere, quia cauſa flatulenta continua non fuit, ſed pro humorum motorum periodis affligens: & ab ebullitione parvo diſcrimine flatus diſtant, quos cum fermentatione recentiorum ferè ubique *Hippocrates* confundit, etiam quum de ſemine maximè loquitur,

&

& de pueri conformatione. Quanquam denique ipſa hæc mulier experta ſit & aliis puerperiis edocta tam propriis quam aliarum, quibus obſtetricatur, flatus ab embryonis motu diſcernere debuerit: tamen in caſu hoc inſolito, cui ſimilem illa non viderat, facile imponere ipſi ſimilitudo utriusque potuit.

IV. Irrito excluſionis conatu, ſuo tandem motu infantes validiores perrupiſſe ipſum uterum, atque in abdomen proruiſſe, ibidemque extinctos ſive à rupto umbilico, ſive denegato reſpirationi requiſitæ loco, in putrilaginem temporis tractu abiiſſe, ingeniosè ſuſpicatur Cl. *Deuſingius*, à quo amicâ voluntate diſſentire, ſine ullo animorum diſſenſu, cogor. Credo enim in utero manſiſſe gemellos, donec apoſtemate ruptus uterus oſſicula reſidua adhuc expelleret per umbilicum & ilia, quod pluribus jam ante perſequutus ſum. Nec enim ullam neceſſitatem video, ut ſubitaneam & violentam rupturam hic fingamus, quum nulla ſigna vulnerati uteri recenſeantur, nullus rupturæ ſtrepitus aut ſonus, nec revera ullum impellens. Uteri enim capacitas adhuc tanta fuit, quæ contineret gemellos, præſertim jam mortuos & ab incre-

mento remotos. A *Celſo* l. 5. c. 26. recenſentur ſigna percuſſæ ſeu vulneratæ vulvæ, dolor inguinibus & coxis, & feminibus, ſanguinis pars per naturale deſcendit, vel naturalia, ut *P. Pavius* in Codice ſuo, qui apud me ſervatur, emendaverat, vel naturam, quod in editione Doctiſſimi *van der Linden* ſubſtituitur: Vomitus bilis inſequitur: quædam obmuteſcunt, quædam mente labuntur, quædam ſui compotes, nervorum, oculorumque dolore urgeri ſe confitentur, morienteſque tandem eadem, quæ corde vulnerato, patiuntur. Nihil horum paſſa eſt noſtra Ingera, quanquam dolores acerbiſſimos ſenſerit, quum per apoſtemata ſucceſſivè uterus vicinæque partes, per quas oſſicula prodiere, exulcerarentur. Vulnus hoc uteri, quod ab interna cauſâ fit, gravius eſt, quam ſi ab externa infligatur, graviuſque eſt, quia ſubitò & magna vi, à cauſa magna, magnam vim ſecum trahit, quam ſi ſenſim ab ulcere aperiatur, quod in hoc caſu opinatus ſum. Non quod prorſus rejiciendam putem conjecturam *Deuſingii*, Viri ingenio magni, ſed quod rupturæ violentæ uteri nulla indicia inveniam, quæ nos cogant id ſtatuere, deficientibus ſymptomatis in ſimili caſu conſuetis, malui in

diverſam

diverſam ire ſententiam, quam ante elegi, quàm quidquam de laudati Viri conjecturâ præſcirem: Uterus quidem fœminæ Lipſienſis in difficili partu ruptus ad ilion dextrum prope cervicem ad dimidiæ ſpithamæ longitudinem notatur à *Salmutho* Cent. I. Obſ. 16. & *Tob. Knöblochius* apud *Horſtium* Epiſt. Med. Sect. 17. ſimilem rupturam infante extra uterum poſito obſervavit; Sed nec hic nec ibi mater ſuperſtes eſſe potuit. De ulcere verò uteri loquuntur hiſtoriæ à *Platero* l. 1. Obſ. tit. de Part. defect. & *Bauhino* in App. ad Roſſet. hiſt. 6. 7. ſignatæ, quo ulcere ſucceſſivè facto, ex utero effluxere oſſa perque muſculos abdominis exulceratos permearunt, quod etiam confirmant *Albucaſis*, *Benedictus*, *Cordæus*, hoc nomine quoque laudati *Sennerto* l. 4. Prax. P. 1. ſ. 2. c. 18. An autem fœtus interea in abdominis cavo hæſerint, vel in utero remanſerint, non additur, ut de poſteriori major ſit ſuſpicio, præſertim quum in ſimili caſu reâpſe id viderit *Augenius* l. 2. de Part. c. 27. ſuo loco à me productus. Ad argumenti illuſtrationem facit hiſtoria nuperrimè deſcripta ab *Henrico Roonhuſio* Chirurgo Amſtelodamenſi in Belgicis Obſervationibus part. I. Obſ. 1. de fœmina ingen-

ingentes dolores paſſa circa umbilicum partus tempore, uteri oſculo clauſo & firmo chorio parere haud valente, exindeque cum fœtu mortua.

In aperto enim cadavere operâ exercitatiſſimi Viri *Franciſci Sylvii*, inventus eſt 1. fœtus nuperrimè mortuus inter inteſtina ſitus, 2. ſecundinarum pars inteſtinis accreta, 3. reliqua pars adhuc utero connexa, 4. magna ruptura uteri, 5. in abdomine ſanguis concretus niger. Iconem ibidem addit, & ad oculum rem icone dignam demonſtrat, ut exinde appareat, pro argumento noſtro, magnos dolores in hujusmodi ruptura uteri ſubeſſe, nec diu ſuperſtitem eſſe poſſe fœtum in loco alieno maturum, & miſeram matrem evadere non poſſe, cauſam denique impediti partus naturali via, fuiſſe arctam uteri clauſuram & chorii denſitatem, de quibus nos in Diſſertatione hac non ita pridem prolixius egimus, ut hic jam, finitis quæ de hoc inuſitati partus argumento dici in exemplum Naturæ variantis poterant, pedem figere liceat. De cæteris nolo quisquam expectet judicium meum. Pro me enim peroret *Symmachus* l. 1. Epiſt. 83: *Quid varia ingenia ſenſerint, res intimavit. Fuit enim in noſtra oratione quod*

unus-

unusquisque diligeret, & pro genii ſui qualitate laudaret. Nobis ad teſtimonium religionis & diligentiæ *ſatis eſt, non ſiluiſſe vel ſententiam cæterorum*, vel obſervationes doctiorum.

DUm ad exitum hic fatigato prelo decurrerent operæ, tempeſtivè mihi viſus eſt & lectus *Jacobus Primeroſius* de Morbis Mulierum & Symptomatis, qui Lib. 4. c. 7. hiſtoriam de Partu prodigioſo, qui viſus eſt in agro Gradiniano juxta Burdigalam A. C. MDXCV. menſe Aug. cum *Stephani Manialdi* Medici Burdigalenſis in eandem obſervatione eruditâ, breviter conſignat, quam Coronidis loco appendam, quia ad argumentum noſtrum ſpectare videtur, nec poſtea verbum amplius addam.

Giralda Fontana conjunx *Grimonis Tiaci*, villici in agro *Gradiniano*, haud procul urbe *Burdigala*, annos triginta nata, fœtus octo jam enixa, in quo numero editi ſunt poſtremo partu gemini, Anno 1591, menſe Martio, iterum utero geſtare cœpit: cùmque feliciter ad nonum menſem, & partus gerendi & pariendi ſtatutum tempus

tempus, perveniſſet, dolor continuus lumbos & inguina fatigat, tormina vexant, locelli humectantur. Accerſitur obſtetrix, gravidam partui exponit, ad enixum hortatur, effertur humor lentus, aquoſus & copioſus: vanus tandem & irritus parturientis conatus. Ab eo tempore manſit in utero ſine motu fœtus, utpote intus emortuus. Symptomata tamen, quæ fœtum mortuum comitantur, aut nulla, aut pauca ſupervenerunt, nec illa multum gravia: adfuit ventris gravitas & ſpiratio graveolens: purgationes non apparuerunt. Poſt hæc mulier, nec fœtus motum, nec tormina ſentiens, nullisque gravioribus doloribus divexata, inſignem tantùm in abdominis parte dextra tumorem deprehendens, conſilio Medici cathartico duobus diluculis corpus expurgat. Purgatio tumorem nec tollit, nec minuit. Poſt aliquot dies ægrota ſanitati reſtituitur, rebus ruſticis gerendis dat operam. Ex utero ſano per biennium menſtrua certis ſtatisque temporibus fluxerunt, donec menſe Majo, anno 1594. rurſum concepit: venter intumeſcit, elucent veræ conceptionis ſigna; ſuo tempore concepti fœtus motum obſervat. Octavo tamen menſe, cùm ſentit fœtum inordinatè & violen-

violenter moveri, premitque dolor in lumbis & in imo ventre, memor præcedentis δυστοκίας, unam atque alteram convocat obſtetricem, oratque ut omnis adhibeatur diligentia, ne ſibi, vel fœtui, calamitas ulla ſuperveniat. Obſtetrices ubi manum ventri admoverunt, nullum deprehendunt motum, evaneſcunt tormina, frigus in imo ventre ſentitur: ſtatimque ſuſpicantur, vel extinctum fœtum, vel ementitam graviditatem: ſic miſeram illam, ærumnis & doloribus confectam & afflictam, non tamen fractam aut victam, deſerunt & naturæ committunt. Ex utero per tres ferè menſes mali odoris ſanies profluxit: apparet tumor durus & ingens in parte abdominis læva, remanetque ſuperſtes adhuc manifeſtus & admodum moleſtus in altera abdominis parte tumor. Mulier interea, propter ingeſtabile utrumque hoc onus, & propter malignos ex utroque fœtu emortuo enaſcentes vapores, exanguis & exanimis, cùm nec rebus gerendis vacare nec ſtare poſſet, lectulo decumbere cogitur: ſenſim tamen moribunda miraculo quodam ex orci faucibus eripitur. Natura enim, quæ ſolet eſſe ſui conſervatrix, alienatum ab integro, mortuum à vivo ſeparare contendit; menſe etenim Junio,

Junio, anno 1595, in ipſo ſolſtitio, abſceſſum molitur circa umbilicum in dextra abdominis parte. Huic cùm vicina mulier aliquid puri movendo accommodatum impoſuiſſet, tandem adapertus eſt ſecundo die menſis Auguſti, ex quo fœtidi puris ingens erupit copia, & cum eo ſubpallidum os excernitur, quòd admirata mulier, cùm in abdomine non ſint oſſa, Chirurgum paganum convocat, qui, abſceſſum jam apertum ſpecillo explorans, oſſa deprehendit, quòd etiam ipſe miratus, Jacobum Noierum Chirurgum Burdigalenſem, τῆς ἐμβρυουλκίας peritum, in conſilium adhibendum cenſet, qui ubi foramen abſceſſus videret anguſtius, incidit, donec ſatis pateret: tum ferramentis ad id paratis emortui & jam à quatuor fere annis corrupti fœtus oſſa fruſtillatim excernit: cùmque idem tentaret in altero fœtu, qui à novem ferè menſibus in læva parte abdominis jacebat extinctus, pallidam & languidam mulierculam deprehendens, negotium in aliud tempus diſtulit, mihique hujus rei mirandæ novitatem & raritatem communicat. Ego nullam moram interponendam putavi, quin rem iſtam admirabilem viderem: itaque confeſtim ad mulierem ire perreximus decimo ſex-

ſexto die menſis Auguſti, tum ut in hoc graviſſimo & periculi pleno caſu mulieri ſuppetias ferrem, tum etiam ut incredibilem hunc partum ἀυτοψία ipſa confirmaret. Aſcivi etiam de induſtriâ *Joannem Danetum* & *Leonardum Villechabrolum* Chirurgos *Burdigalenſes*, ut hæc res multorum oculis eſſet teſtatior. Ad eam cùm perveniſſemus, primùm percontati ſumus, quemadmodum ſe haberet, tùm præteritorum affectuum naturam, cauſas, ſigna, ab ipſa ægrotante, à conjuge, ab obſtetricibus & ab aliis, qui adfuerant, cognoſcere voluimus. Quæ ubi longa ſatis inquiſitione fuerunt explorata, bono & forti animo illam eſſe jubemus, omnibus artis noſtræ præſidiis opem nos laturos bonâ fide pollicemur: tandem locum affectum, ventrem nempe ipſum, inſpicimus, in quo abſceſſus foramen, in dextra abdominis parte juxta umbilicum, obſervamus, per quod fœtus prioris emortui oſſa cum copia puris excreta fuerunt: in læva verô parte abdominis tumorem inſignem, eumque tactu durum, deprehendimus, ibique extincti fœtus poſterioris calvariam ſubeſſe prædiximus. Quam cùm per foramen abſceſſus educere nos poſſe non vide-

Digitized by Google

videremus, quoniam jam illud carne replebatur, de dilatando orificio cœpimus cogitare, vel de epigaſtrio ſiniſtro incidendo, totumque negotium in alium diem differimus. Vigeſimo ejusdem menſis Auguſti die rurſum ægrotantem inviſimus cum iisdem Chirurgis. Adfuerunt præterea Dominus *Brietus* Medicus peritiſſimus, *Joannes Eimericus*, *Joannes Duvernacus* Chirurgi, *Sebaſtianus Cavaillanus* Pharmacopœus, qui non ſolùm rei hujus admirandæ ſpectatores oculati eſſe voluerunt, ſed fuerunt etiam mulieri ad recuperandam valetudinem cordati authores. Itaque tunc communicatis conſiliis, quod abſceſſus foramen anguſtius videbatur, in altera abdominis parte, procul ab abſceſſu, ſecandum epigaſtrium ſtatuimus, qua parte eminebat tumor, quem demortui fœtus calvaria denotabat. Sectionem reſpuebat mulier: cùm tamen neceſſariam eſſe perſuaſiſſemus, exhibuimus potionem cardiacam, ne vires deficerent: ſtatimque præcidimus abdomen, & per locum inciſionis, emortui fœtus oſſa membratim eduximus, & protinus vulneris oras quinque ſuturis junximus, ſperantes reliquum puris per abſceſſus foramen excludi facilè poſſe;

poſſe; ex quo tamen foramine, jam calloſo, in poſterum nonnihil puris effluxurum reformidamus. Cæterùm impoſitis quæ vulnus inciſionis glutinarent, mulier brevi curatur &, depoſita utriusque cadaveris moleſtiſſimâ mole, priſtinæ ſanitati reſtituitur, qua etiam nunc integra fruitur, præter omnium ſpem, admirando Dei beneficio.

Divinum & admirabile eſt Summi Opificis opus & inſtitutum, quod ad conſervationem ſingulorum generum machinatus eſt, & ad propagandam ſucceſſionem tanquam unicum perpetuitatis ſubſidium excogitavit, ne viventium omne genus conditio mortalitatis extingueret. Generatio certè hominis nobiliſſima eſt, & quoddam veluti naturæ miraculum: cujus opificii ſolertiam incredibilem, ſi quis velit attentius ſpeculari, mente admirari poterit, non voce effari, nec pro dignitate recenſere. Moleſtus eſſem & ineptus, ſi de hominis conformatione copioſius hoc loco vellem differere: à propoſito enim me longiùs abduceret, nuſquam alibi ſpectatior hæc naturæ fabrica: Itaque ad hiſtoriam venio. Mulier hæc, firma corporis conſtitutione & integra ſanitate

M 2 fruens,

fruens, ante trigeſimum ætatis annum, octo fœtus, inter quos poſtremi gemini fuerunt, feliciter utero geſtavit & in lucem protulit. Cùm autem nonus fœtus ad nonum menſem perveniſſet, neſcio quo fato in utero extinctus, nulla fœtæ contentione excludi, nulla obſtetricis attractione educi potuit: quòd non ita mirum, fœtus enim émortuus μέγα αἴτιον τοῦ μὴ ῥηιδίως ἀπιέναι; hoc verò mirandum, quomodo mulier in vitæ diſcrimen non venerit, intus emortuo & putreſcente fœtu, quùm ſecundæ relictæ & in utero putreſcentes ſæpius puerperam in mortem præcipitent. Illud omnem admirationem longè ſuperat, fœtum mortuum in matris alvo quatuor annos remanſiſſe. Quod ſequitur, non tantùm mirabile, ſed potiùs incredibile videtur, mulierem eo tempore non modo ſine vitæ periculo & absque corporis moleſtia fuiſſe, ſed ſanam vixiſſe, rebus ruſticis operam dediſſe, menſes ei per biennium fluxiſſe ſtatis temporibus: tandem quòd eſt θαῦμα θαυμασιώτατον, iterum concepiſſe, fœtum in utero per octo menſes ſanum geſtaſſe, eundemque tum mortuum, per octo alios menſes pertuliſſe in alvo, & tandem, duorum horum ca-

daverum depoſita ſarcina, non modò ſuperſtitem, ſed firma & integra valetudine fruentem, etiam nunc vivere dum hæc literis mandamus menſe Decembri anno 1595. Ampliſſimus ſane diſputationis campus ſeſe nobis offert, in quo tamen latius ſpatiari nec libet nec licet. Ne quis verò partum hunc incredibilem judicet, oſtendam primum, nihil novum aut inauditum contigiſſe; deinde, cur hæc ſic evenerint, cauſas explanabo. Extant in Medicorum veterum & recentiorum monimentis ſimilia exempla, quorum nonnulla in medium proferam, ut hujus etiam partus veritas eluceſcat. *Albucaſis*, inter *Arabes* nobiliſſimus Medicus & Chirurgus, *ſecundo libro methodi medendi*, ſimilem ferè hiſtoriam deſcribit his verbis: Vidi ego mulierem, in cujus ventre mortuus erat fœtus, nihilominus imprægnata, poſtea mortuus fœtus etiam ſecundo conceptus, accidit ergo ei poſt longum tempus abſceſſus in umbilico, & in tumorem attollitur & increſcit, donec apertus cœpit emittere pus. Vocatus ſum ergo ad curationem ejus; & cùm multis remediis impoſitis coaleſcere non poſſet vulnus, ſuperpoſui medicamenta valdè attrahentia,

& ſic excretum fuit os, & paucis poſt diebus exivit & aliud os; miratus ſum ergo, cùm in ventre non ſit os; cauſam tamen diligentius expendens & mecum omnia repetens, deprehendi eſſe oſſa fœtus emortui. Cauſa igitur morbi certò cognita, medendique rationem hanc ſecutus, extraxi oſſa multa, mulierque priſtinæ ſanitati reſtituta, diutius poſtea vixit. ex ulcere autem ſemper puris nonnihil fluxit. *Matthias Cornax* Medicus *Cæſareus* ſcribit hoſpitam quandam *Viennæ* in *Auſtriâ* quatuor annos fœtum emortuum in abdomine geſtaſſe, qui ex cavitate uteri putrefacti penetraverat in vacuum abdominis ſpatium inter inteſtina & peritonæum: cùmque tumorem ingentem in ventre excitaſſet, adapertus eſt in medio epigaſtrio, ut vacuaretur abſceſſus. Perque illud foramen ejectus fuit fœtus non ita corruptus, quòd mirum eſt, quin facile virilis ſexus diſcerneretur. Illa verò ſanitati reſtituta iterum concepit, fœtumque ad legitimum pariendi tempus tulit; ſed propter pariendi difficultatem, cum fœtu perit mater, ex cujus ventre poſt obitum detractus fuit fœtus. *Joannes Langius* Pa-

lat.

lat. Electorum ἀρχίατρ@ epiſt. 39. lib. 2. admirandam fœtus in utero mortui excretionem recenſet his verbis: *Andreæ* cujusdam uxor, fœtum viventem aliquot menſes in utero geſtaverat. & quùm jam tempus enixus appeteret, ubera ejus, prius turgida, lactis aquoſi rore madebant, ac decreſcebant: nec puer in utero ſubſiliit. quæ ſigna fœtum mortuum teſtabantur. Tandem fœtus in matrice computruit. cujus de curibus & cranio oſſa denigrata & carie obſita, incredibile dictu, ſed verum: quùm mulier ob inteſtini exulcerationem alvi profluvio laboraret, tandem anno decimo, non per vulvæ oſtiola, ſed per anum, oſſa excrevit. Mulier tamen illa vel hodie adhuc eſt ſuperſtes. *Rondeletius*, Medicinæ Profeſſor regius in ſcholâ *Monſpelienſi*, *libri tertii methodi curandorum morborum cap.* 65. ſcribit ſe vidiſſe puerum in utero putrefactum & fruſtulatim rejectum, relictis magnis oſſibus in eodem utero per longum tempus, quæ poſt in utero matris mortuæ reperta ſunt. Uxor autem fuit Chirurgi *Monſpelienſis*, qui poſt mortem, ut cauſam alicujus interni affectus cognoſceret, paſſus eſt illam diſſecari. Quid memorem

Digitized by Google

portentoſam illam & gypſeam lithopædii ſive embryonis lapidei & inſtar Niobes indurati in utero per 28 annos geſtationem in civitate *Senonenſi?* quam *commentario ſeptimo* in *Hippocratis librum priorem de mulierum morbis* elegantiſſimè recenſet *Mauricius Cordæus* Medicus *Pariſienſis* doctiſſimus. Multa præterea ſimilia exempla poſſunt proferri, ſed diutius in his recenſendis non immorabor: ad occulta enim & abſtruſa naturæ opera, quæ in hoc partu apparuerunt, mea feſtinat oratio, ſi prius de naturæ miranda vi pauca dixero. Natura ab antiquis philoſophis variè uſurpatur. Fuerunt enim qui naturam vocarunt primum rerum omnium principium. Alii dixerunt eſſe rerum omnium matrem, quaſi dicerent, omnia ſua ſponte eſſe nata. Alii Naturam eſſe cenſent vim quandam ſine ratione cientem motus in corporibus neceſſarios. *Ariſtoteles* Naturam facit duplicem, materiam & formam. *Stoici* uno naturæ nomine duas res diverſiſſimas comprehendunt, Deum & Mundum, Opificem & opus. Zenoni natura dicitur ignis artificioſus ad gignendum via progrediens. Communis loquendi

Digitized by Google

loquendi ratio recipit, ut, quod eſt inſitum quibusque rebus, Naturam appellemus. Medici Naturam definiunt temperamentum in ſpiritu & humido primigenito ſitum. Alii credunt eſſe univerſam ſubſtantiam & temperiem, quæ ex primis quatuor qualitatibus conflatur: & *Galenus* ſcribit, hoc eſſe φύσιος ſignificatum κυριώτατόν τε καὶ πρῶτον. Quibusdam natura eſt calidum innatum, quod ſaltem eſt primum naturæ inſtrumentum: & naturæ ſanè mirifica eſt vis & admiranda potentia, non ſolùm in homine formando, alendo, augendó, cùm ſit omnium functionum naturalium cauſa, ſed etiam in conſervando & à mortis injuria vindicando: in morbis enim criſes molitur, humores noxios coquit, à bonis ſecernit & tandem excernit, & in hâc parte occultos & arcanos naturæ motus ſæpius admiramur, vel, ut veriùs loquamur, plurima à naturæ conditore præter naturæ ordinem fieri videmus. Quod in hoc partu prodigioſo quis non videt? quomodo enim fœtus emortuus putreſcens uterum non affecit? qua via ex utero egreſſus abdomen occupavit inter peritonæum & inteſtina? quî utero lacero & putredine cor-

roſo medicam manum admovit? quo remediorum anxio apparatu potuit coaleſcere & priſtinum robur recuperare? quomodo denique per biennium fluxerunt menſes iterumque concepit? Creſcit certè apud me hujus rei admiratio, dum omnia diligentius inquiro. Sed jam horum etiam cauſas ex Medicinæ adytis & Medicorum edictis depromamus. Si ſecundæ (ſic ſecundum fœtus domicilium & internum infantis velamentum nominant) in utero diutiùs retineantur, dolores, labores & pericula non contemnenda imminent: putreſcentes enim in utero, non exiguam noxam afferunt ſtomacho, cordi, cerebro, fœdis vaporibus ad eas partes transmiſſis. Venter etiam durior intumeſcit, ſuffocatio non raro accidit & ſtranguria, præterea febris, aliaque gravia & periculoſa ſymptomata ſuccreſcunt. Ex fœtu vero mortuo hæc eadem, ſed multo graviora naſcuntur: ſæpiusque matri calamitas ſupervenit cum anorexia, ſiti, horrore, dolore, dentium ſtridore, graveolente ſpiratione, ventris intenſa frigiditate, febre, delirio & mortifera nervorum diſtentione. Quod ſi ocyus non eximatur emortuus intus fœtus, ex ingenti frigiditate tan-

Digitized by Google

tantam labem concipit uterus, ut vix poſtea ad antiquum reducatur ſtatum. Nihil tale puerperæ huic contigit, ſed brevi partus doloribus vacua ſanitati reſtituitur, & uteri ipſius œconomia nullo modo labefactatur, imo intra paucos menſes ex naturæ præſcripto menſtrua purgatio erumpit, ſtatisque & certis temporibus recurrit. Mira ſolent eſſe naturæ robuſtæ & benè temperatæ opera: rectè à *Galeno* dictum, vires valentes & robuſtas omnia contemnere & tolerare, infirmas verò abs quovis offendi. Sed ne diuturniore in utero mora fœtus emortuus partes principes offenderet, natura, quæ ſolet eſſe ad noxii expulſionem quàm ad utilis attractionem diligentior, exitum brevi molita eſt: & croſa ea uteri parte, quæ inguini adjacet, fœtum mortuum expulit ad inane illud ſpatium inter peritonæum & inteſtina quod in abdomine ſubeſt. Sic natura, licet ἀσχιδευπὸς καὶ ἀδίδακτος locum convenientem delegit, in quem ſarcinam cadaveris extincti detruderet, & vere dixit *Hippocrates* ἀνευρίσκει ἡ φύσις ἑαυτῇ τὰς ἐφόδους, natura ſibi viam molitur: & ſi robuſta ſit, materiam etiam craſſam per exiles transmittit meatus, & per abſceſſus

etiam

etiam oſſa. Cæterum, per inferiorem & orificio uteri vicinam partem fœtum hunc expulſum fuiſſe, fidem mihi fecit uxor *Gulielmi Motæ* Bibliopolæ *Burdigalenſis.* Cùm enim hæc per triduum aut quatriduum in difficili & laborioſo partu fuiſſet, tandem cùm languerent vires, dum ſudor frigidus erumperet, nec moveretur partus, accerſor ipſe Calendis Septembris, anno 1595, ut potionem præſcriberem, quæ fœtum propelleret. Ego, dum video puerperam ægrè membra ſua attollentem, ſomno oppreſſam cum languido & debili pulſu, dum animadverto mollius eſſe corpus parturientis & colorem ſubalbidum, dum etiam deprehendo frigere abdomen, prædico fœtum eſſe mortuum, & matri in propinquo adeſſe mortem. Itaque reficiendis matris viribus præſcribo cardiacam potionem ad fœtum educendum, enema injiciendum ſuadeo, ut, hoc pacto irritata, natura cum excrementis fœtum etiam mortuum deturbaret. Sed fruſtra omnia & aſſumpta & injecta fuerunt, mater enim obiit ſequenti nocte. Pater verò Chirurgum ſtatim convocat, qui fœtum, quem ſuſpicabatur ſuperſtitem, ex utero per inciſionem eximeret. Chirur-

Digitized by Google

rurgus, epigaſtrii ſiniſtram partem ſectione cùm aperuiſſet, fœtum emortuum deprehendit inter peritonæum & inteſtina, qui inferiorem uteri partem ſiniſtram ad inguina corrodendo penetrarat; cujus rei ſpectatorem me voluit eſſe. Ibi ego & uteri craſſitudinem duorum ſaltem digitorum & partem uteri corroſam admiratus ſum, & ſtatim conjeci eam eſſe partem, quæ in partu hoc prodigioſo exitum præbuit cadaveroſo utrique fœtui.

Difficilis nunc & penè inextricabilis ſupereſt quæſtio, quo modo corroſus uterus matri non fuerit exitialis, & quibus viis ſanus factus coaleſcere potuit. Primum quidem hujus quæſtionis caput non ita obſcurum videri debet; quamvis enim ulcera uteri contemnenda non ſint, quòd locus excrementis & putredini pateat, quodque nervoſæ ſit ſubſtantiæ, tum quòd periculoſiora videantur ulcera, quæ ex corroſione ſunt orta, cujusmodi fuerunt iſta à putreſcente fœtu utrinque excitata, attamen quotidianus rerum eventus & Medicorum omnium conſenſus docent non eſſe inſanabilia uteri ulcera, ὤλλη γὰρ ἡ μήτρα πολλάκις ἰσοῤῥῆται, ἀφαιρεθῆναι, καὶ θάνατον ἐπὶ τούτοις μὴ γινέσθαι. Conſtat plerumque, tota abla-

ablata matrice, mortem non inde ſequi, ut teſtatur *Paulus Ægineta*. Uterus enim non ſolum procidit, ſed etiam in quibusdam præciditur, nec tamen mortem affert, ut *Themiſo* literarum monimentis conſecravit. Scribit etiam *Soranus*, in *Gallia* ſues habitiores & validioris alimenti fieri poſtquam uterus abſciſſus fuerit, quod nemo non obſervat quotidie. Alteram quæſtionis partem paulò obſcuriorem jam explicemus, & fateamur veriſſimum eſſe ſenis illud oraculum, νούσων φύσιες ἰητρούς, naturas morborum eſſe Medicos. Hominis certè natura ſemper præcipuus & internus eſt morborum Medicus; ἡ φύσις ἁπάσων τεχνῶν πρώτη καὶ κυριωτάτη ἴασις à *Galeno* merito cenſetur. Arcanis quidem & occultis motibus ea perficit natura, quæ fieri non poſſe videntur. Sic inſanabiles quidam morbi naturæ potentia & bonitate ſuperantur, eaque ſæpe ſine Medici officio morbos pellit: Medicus verò nunquam ſine naturæ ope vel minimam ægritudinem poteſt propulſare, ut verum ſit illud vetuſtiſſimi Medici, οὐδὲν ἄνευ φύσεως γένεται. quod in hac puerpera luce meridiana clarius apparet: ſiquidem natura, viribus ſuis utens, noſtra cognitione profundiora peregit,

egit, reconditis enim & arcanis viis uteri utrumque ulcus ad cicatricem perduxit, quod nec ſolers Medicorum induſtria, nec operoſa Chirurgorum manus fortaſſe præſtitiſſet. Sic Naturæ ſolertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex conſequi poteſt imitando, ut pereleganter à *Marco Tullio* dictum eſt. Quis enim crederet uterum, remediis è naturæ ſinu depromptis, non ſolùm integrè ſanum redditum fuiſſe, ſed etiam ad concipiendum aptum idoneumque prioris fœtus cadavere ex matris alvo nondum expulſo? Multa certè fieri non poſſe judicantur prius, quam ſint facta; & in multis naturæ vis fide caret, in iisque occultis naturæ operibus non ratio ſemper quærenda ſubtilius, ſed cum admiratione ſpectandus effectus, fatendumque eſt multa in corporibus noſtris quotidie fieri, quorum vim naturamque perſpicere non poſſumus. Soli autem naturæ opifici naturæ opera perfectè nota ſunt, qui cauſis omnibus naturalibus liber & ſolutus naturam ad ea peragenda dirigit, quæ humanæ mentis captum excedunt. Ego autem, imbecillitatis meæ mihi conſcius, & tenuita-

tis

Digitized by Google

tis ingenii mei non immemor, nolo altiùs hæc myſteria ſcrutari, nec curioſiùs arcana naturæ rimari: nolo etiam poſteros hoc raro & mirando ſpectaculo fraudare, nec recondere & intra me unum perire quæ vidi & novi: ab occultandis enim iis, quæ hominum vitæ prodeſſe poſſunt, mei mores plurimum abſunt. Itaque hanc hiſtoriam ex fide deſcripſi, fidisque teſtibus confirmavi, ut ea fidem apud poſteros poſſet invenire.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Capitum.

CAp. 1. *Hiſtoria Partus mirabilis, & diſſertationis occaſio.*

Cap. 2. *Legitimum & ſtatum partus terminum, nec in hac muliere, nec in aliis unquam variare.*

Cap. 3. *Cur gemelli legitimo partus tempore via conſueta editi in lucem non ſint?*

Cap. 4. *Repigrationem horum gemellorum ſupranaturalem non eſſe.*

Cap. 5. *Cur per orificium uteri oſſa gemellorum non prodierint?*

Cap. 6. *Vicinitatis jus in oſſium horum per varias vias excretione.*

Cap. 7. *De Chriſti nativitate miraculosa.*

Cap. 8. *De Capite Puerpero.*

Cap. 9. *Ex ore nativitas.*

Cap. 10. *Fœtus ex umbilico excluſi.*

Digitized by Google

Cap. 11. *Embryones ex Tuba Uteri erumpentes: ubi & de Fœtu Muſſipontano diſſeritur.*

Cap. 12. *Ex hypochondriis fœtum nonnunquam exire.*

Cap. 13. *Ex Iliis apertis nati.*

Cap. 14. *Ex ano infantes excluſi.*

Cap. 15. *De Dionyſii nativitate ex femore Jovis.*

Cap. 16. *De Fœtu prægnante.*

Cap. 17. *De Obſtetricum ſcientia.*

Cap. 18. *De Obſtetricum Officiis.*

Cap. 19. *Quomodo imſolitæ partus viæ declinandæ?*

Cap. 20. *Dubia nonnulla in Caſu hoc raro propoſita & ſoluta.*

FINIS.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DE LA FACULTAD

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS VESLINGI

MINDANI EQUITIS

OBSERVATIO-
NES ANATOMICÆ

&

EPISTOLÆ MEDICÆ

ex ſchedis poſthumis

ſelectæ & editæ

à

TH. BARTHOLINO.

BIBLIOTECA

HAGÆ COMITUM,

Apud PETRUM GOSSE, Bibliopolam.

M. DCC. XL.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſſimo Viro

DN. ERICO KRAGH

Domino de Braming,

Ser. Reg. Maj. Dan. Secretario ſummo, & Regiæ Cancellariæ Conſiliario,

Veteri Amico & Fautori

S. P. D.

TH. BARTHOLINUS.

ALiena dum offero & peregrina, meæ potius tenuitati quam tuis meritis conſulere videor. Neque enim ex penu meo deprompta

quidquam mereri poſſunt, ſi ad magnitudinem animi tui & virtutis comparentur. Externo opus eſt apparatu, quo domeſticarum rerum vilitas compenſetur, quanquam ea ſemper fuerit tua facilitas, ut proprio palliolo indutum benevole ſoleas excipere. Debiti tamen mei ratio potius habenda fuit, quam tuæ humanitatis qua omnium vota ſuperaſti. Iniquam interim aliorum cenſuram evitare me credo, quibus externa aliquo ſe fuco adornant, quique cum Diogene apud Laërtium, alienum libentius vinum bibunt. Ex pluteis meis non pauca hactenus prodierunt, quæ orbis noſtri oculos fatigarunt, forſan & animos, quibus eapropter tantum à mortalibus gratiæ obtinui, quantum jure ſuo Nevius quo nihil ignavius Scipio noverat.

Digitized by Google

noverat. Neque id moleſtius fero, quam Cenſorinus Cato apud Ammianum qui interrogatus, quamobrem inter multos nobiles ſtatuam non haberet; malo, inquit, ambigere bonos, quamobrem id non meruerim, quam quod eſt gravius cur impetraverim muſſitare. Igitur quod induſtriam meam, inviſam domi, foris laudatam, alieno labore Tibi commendare velim, pietati in peregrinos, & obſervantiæ meæ erga Te antiquâ virtute & amicitiâ mihi colendum imputabis. Multa peregrinis debeo, alioque ſole calentibus, quia ingenti applauſu & ſcripta mea & famam exceperunt, ut committere non debeam exterorum famam, quos virtus & eruditio evexit, apud nos ſilentio meo obmuteſcere. Hoſpitalitate nihil eſt ſanctius,

ctius, & ex conſilio Platonis peregrinorum commercia prudenter tuemur, ne ulla fiat peregrinis à civibus injuria. Hac mente Viri inter Medicos notisſimi, Joannis Veslingii Mindani, Equitis S. ſepulchri, & in Gymnaſio Patavino Anatomes & Pharmaciæ Profeſſoris docti pariter & diſerti Obſervationes & Epiſtolas ab interitu vindicavi, quas ex poſthumis illius ſchedis poſt beati noſtri Rhodii exceſſum mihi concreditis tanquam naufraga fruſta collectas hoſpitii jure privari paſſus non ſum. Nolo tanti hoſpitis laudibus immorari, quem pro Gymnaſii ſui ornamento Veneta Majeſtas amavit, ut digni idcircò ſint beati Viri manes tuo quoque favore quem in literatos omnes pleno affectu effundis. Si fata magnum Virum

orbi

orbi ſervaſſent, de Pullitie Ægyptiorum perfectum opus habuiſſemus: at inter ſuſcepti argumenti initia, immaturâ morte præreptus imperfecta cætera reliquit, ſchedasque tumultuaria manu quidem exaratas ſed curioſis hinc inde obſervationibus Medicis refertas, quas dum inter alias occupationes, ne quid periret, ex lituris ſuis extraxi, & ex miſcellaneis quisquiliis ſelectas temeraria forſan liberalitate Tibi harum rerum gnaro & utriusque fautori magno exhibui, omnia authori Clariſſimo, nihil mihi deberi velim; nam ſicut apud Homerum Antinous:

— οὔτις ἐπίσχεσις. οὐδ' ἐλεητὺς
Αλλοτρίων Χαρίσεθαι. —

Quod meum tamen eſt, Tibi offero, dicoque, hoc eſt, animum devo-

devotum, quem propriis feſſum lucubrationibus de proprio largiri poſſum dum ſiverint fata DEusque. Vale, Vir Illuſtrisſime, & mihi favere ſeriò perge.

Hafniæ XXVI. Jan. cIↃ IↃc LXIV.

Jo.

Digitized by Google

Jo. Veslingi
Equitis
Obſervationes & Epiſtolæ Anat. & Med. Selectæ.

I.

Obſervationes Philoſophicæ & Medicæ de pullorum in Ægypto excluſione mediante calore elementari.

Cum pullorum matris incubatu excludendorum, nec continuata nec facilis inſpectio detur: nactus quaſi divina virgula occaſionem, qua eorundem eductionem in furnis Ægyptiis adminiculante graduato calore continueri mihi licuit, continua dierum & plurium ſimul etiam uſurpatione, Deo benigne adſpirante ſic progreſſus:

 1. Ter-

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DE LA FACULTAD DE MEDICINA

1. Tertio menſis Aprilis calore cœleſti ſatis jam adaucto, inſpexi ovum unius diei, in quo utrinque grandeolæ plurimis quaſi filamentis luteo inſertis, tum præterea in eodem macula albicans & rotunda, cætera nihil immutatum.

In ovo leviter à calore alterato ad baſin ovi macula lentis inſtar albicans; cui grandeola filamentis ſuis cohæret, ſub ea ſequentibus diebus, vid. 2. 3. 4. &c. embryonis diaſpasma ſeſe manifeſtat, eo ſcilicet ex grandine tranſlata ſpermatis materia; macula hæc eſt corpus lentum ſpermaticum à lutei membrana circa diviſionem haud ſeparabile: quod poſt diſtrahitur in partes diverſas. Primo die nulla venularum umbilicalium delineatio conſpicitur.

2. Secundo die circulus rubeus elegans in lutei membrana verſus baſin ovi declinans; in hujus medio ſub membrana portiuncula quædam ſpermatica hordei granum referens, in quo verſus partem ſuperiorem macula ſubrotunda coloris magis obſcuri, in qua palpitare quippiam videbatur: grandines utrinque ſuperſtites.

3. Tertio venula ſimiliter in orbem extenſa, in cujus medio vermiculi inſtar aſcaridis

ridis in ſpiram ſuperius convoluti effigies, parte ſuperiore craſſior & rotunda protuberantia inſignitur: idque *ſub lutei membrana*, ab utroque latere venularum minutiſſimis ramis ſtipata. Hujus parte ſuperiore, ubi venula tantum conſpici potuit turgidior & amplior, motus evidentiſſimus videbatur ſyſtoles & diaſtoles, duabus horis elapſis poſtquam è fornace exemptum, dimidia verò poſtquam fractum ovum fuerat, calori tamen ſolari expoſitum: cæterum corpuſculum nulla partium adhuc notabili diſtinctione conſpicuum fuit, ad quod tamen utrinque grandeolorum filamenta ſeſe porrigere videbantur. Inſpexit hunc motum Illuſtriſſimus Jo. Donatus Conſ. Ven. in Memphi Ægypt. tum Adm. Rever. Dn. P. Paulus de Lodis, Dn. Franc. Nordius dicti C. à Secretis, & domeſticorum plurimi.

4. Venulæ ſurſum deorſumque commeantes latius extenſæ, jam ſanguine plenæ qui ex vulneratis effluebat. Corpus verò pulli nominatum oblongum, quod venula perreptare videbatur: ſuperius globoſum capituli inſtar cum duobus punctis nigricantibus: ſub hoc lenis & rubicunda prominentia cor exactè figurâ ſuâ referens, quæ motu ſyſtoles

& diaſtoles admodum concinnè movebatur, etiam quatuor elapſis horis poſt exemptum ovum è furno: ſpectantibus ſupra dictis, & Viro præſtantiſſimo D. Dominico Savio &c. ex hac venæ manifeſtè prodire videbantur, reliquum corpuſculum uniforme.

5. Quinto die verſus baſin ſuper lutei tunica embryonis diaſpasma grandius & conſpectius ſe offerebat, tribus diſtinctum regionibus, omnibus exſanguibus & albicantibus. Superior anterius duas prominentias habet, quæ cerebro; poſterius unam, quæ cerebello debetur; omnes tamen pellucidæ & muccidæ; tum prominentias duas ſeu orbes oculorum nigricantes cum uvæ foramine albicante: atque hæc pro corpuſculi proportione admodum ampla: interius cavitas quædam roſtro diſtincta, cætera informis. Media regione, cordis motus abundè conſpicuus cum venis utrinque turgidulis præcipuè deorſum abeuntibus. Inferior regio nullis diſtincta partibus, circa dextram partem puncto rubicundo inſignita. Extrema duobus conſtabant proceſſibus, pedum ſcilicet rudimentis: venæ è medio quaſi prodeuntes magis auctæ & plenæ.

6. Sexto omnia jam ampliora conſpiciebantur, venæ per mediam lutei circumferen-

Digitized by Google

ferentiam extenſæ, motus non tantum cordis, ſed etiam pulmonum, qui auricularum potius cordis, obſervabilis, vena circularis hic etiam nondum diviſa. Ad epatis ſedem rubedo; tum vaſa ex umbilico erumpentia ſanguine floridi coloris referta: alarum quædam projectiones.

7. Septimo vitelli membrana magnam partem venis umbilicalibus referta, eaque duræ membranæ adhærens. Luteum ipſum dilutius & pallidius, & embryo partibus omnibus major, potiſſimum capite, corde, ob motum evidentiorem. Ex abdomine prodeuntia vaſa umbilicalia omninò majora per lutei membranam ſparſa. Dorſi ſpina verticillis ſuis diſtincta, pedes in digitos partiti, ventris verò extenſas partes contrahere videbatur. Grando ex baſi ovi, ampla ſatis, embryoni filamentis ſuis connectebatur: aderant & alarum leves protuberantiæ.

8. Octavo totus embryo amplior, & in glomum quaſi convolutus, oculi nigricantes cum albo uveæ foramine tam ampli, ut vix in adulta ætate majores eſſe queant: roſtri portio, tum arteriæ tracheæ canalis jam conſpicua. Cor elegantiſſime conformatum ſanguine diffluens uberrimo, ad cujus

Digitized by Google

motum & pulmones concitari videbantur. Epatis parenchyma jam in conſpectum ſe dabat, colore nonnihil flaveſcente prædi-tum, tum ſtomachi ſacculus inteſtinorum gyris continuatus. Vaſorum umbilic. duæ arteriæ ex iliacis jam erant obviæ, tum & vena, ſed quæ ex amplo cavæ trunco potius originem ducere videbatur; alarum apparebant remigia, & pedum columellæ cum digitis magis expreſſæ. Totus fœtus, cum ovum aperiretur, motu quodam convulſivo concutiebatur. Secunda inſpe-ctione totus & partibus extremis ſe movebat: Epar, inteſtina & ventriculus optimè conformata: bilis veſicula non aderat: albuminis grandinoſa ſubſtantia ipſi à cauda quaſi cohærebat.

9. Corpus nono totum ovo aperto commovebatur, inſpiciente Illuſtriſſimo Donato. In oculis cryſtallus jam conſpicuus. Epar adhuc lutei coloris. Vaſa umbilicalia ampla & ſanguine diſtenta. Referebant, repentina pluvia elapſi Februari Anni 1631. quia ilicet frigus ingruebat, & ſpiracula claudi non poterant, plus quam 4000. pullos interiiſſe: Item ova Crocodilarum à piſcatoribus in Nilo capta, quia corticem non habent adeò denſam, furni calore à ſe excluſa: quemadmo-dum

dum gallinarum Indicarum, anſerum, anatum, columbarum, avicularum: Struthii ova ob duritiem non poſſe.

10. Decimo die corpus jam carnoſa ſubſtantia circumdatum, oculorum orbes palpebrarum integumenta dimidiatim velabant. Roſtrum integrum, & cor, avulſo capite, ultra horæ partes duas concinnè movebatur. Umbilici vaſa in tres propagines diffundebantur; ſed cum increſcente fœtu dura membrana ſenſim à baſi introrſum abſcedit. Venæ etiam umbilicales non tantum in luteum, ſed & albumen ſpargebantur, grandinumque portiones adhuc ſuperſtites; inſpiciente Adm. Rev. P. Paulo de Lodis.

11. Undecimo cerebrum univerſum jam conſiſtentiam acquiſiverat aliquam, oſſeo rudimento munitum, per quod venæ & arteriæ, per ſinus cerebri ſparſæ, per cervicem aſſurgentes conſpici potuere, in medio potiſſimum rubeſcens: coſtarum craticulæ hinc inde pectus obvallabant, tum clavicularum & extremarum partium oſſa duritiem aliquam conſecuta cum ſterno: Videtur non tota dura tunica, ſed pars ejus interna tenuior abſcedere, nam & illa & vitelli membrana adhuc integra: tum grandinoſæ ſubſtantiæ

non parum, per quam inſignes venæ procurrunt. Abſcedenti membranæ venæ amplæ umbilicales erant connexæ, quæ cum ipſa à dura membrana prolabente cum vitello & albore à fœtu facile ſeparabiles erant. Fœtus extra luteum quidem repertus: Primis tamen diebus extra ejus membranam haud prodierat, niſi jam amplior factus, niſi dicendum, fœtum ſupra lutei membranam gigni, & cum ipſa albugineæ tunicæ accreſcere, donec grandior factus cum albuginea membrana ob gravitatem ſeparetur.

12. Fœtus pulmones exactius contuebar, qui ob ejus reſolutionem immobiles forſan, corde interim languido motu ſe contorquente, cujus motus ad auriculas & baſin primum ordiebatur, poſt reliquo parenchymate: arteria umbilicalis motum cordis ſubſequebatur. Epar jam rubicundius, ſub quo folliculus bile turgidus. Dorſum jam pennularum primordiis maculoſum, membranam tenuem duræ particulam eſſe, totalis ſeparatio oſtendit; ſpectante Patre Paulo de Lodis. Vaſorum umbilicalium duo tantum trunci ex umbilico prodeunt, è quibus vena in luteum, arteria in albumen quaſi tota diſtributa, videlicet ubi grandinoſum & lentius exiſtit.

13. Pul-

Digitized by Google

13. Pulmones adhuc quieti, vaſa umbilicalia duo tantum, ex quibus arteria ſtatim in duos ampliſſimos ramos bifurcatur, omnes inſigniter turgentes, & albugineæ tunicæ cum craſſiore albuminis parte adhærentia: ut non immeritò tunica ab albumine ipſo profecta videatur. Pullus, hinc inde nigricantibus pennulis inſignitus, caput ſupra pectus contorquet, reflexis ibidem alis, pedes verò capiti applicat: magna pars tum lutei tum albuminis ſupereſt, ſed utrumque lentius evaſit: humiditas tenuior fœtus potius excrementum videtur.

14. Decimo quarto maximam partem corpus jam pennulis nigris & albicantibus obſitum erat: caput univerſum exigua cruſtula obductum: hiabat aliquoties diducto roſtro, cum durius tractaretur; nec vox perceptibilis, nec pulmonum in eo motus.

Fœtus tenuiſſima tunica, ab albumine profecta, circumdatus, in qua quid ſeroſi: albumen cum lutei macula alba penitiſſimè cohærens: vaſorum umbilicalium major pars in albuminis partem craſſiorem diſſipata, & cum eâ reſiccata ſenſim chorio tunicæ connectitur.

15. In pullo una arteria umbilicalis am-

pla, per lobos epatis ſupra ſtomachum aſcendens, ſub corde originem trahens. Item venæ duæ colore ſanguinis admodum ab arteria diſcrepantes, quæ oriri non ex epate, ſed altius è vena cava: & hæ quidem in luteum & cum eo, ut etiam inteſtina, cohærent: illa libera in albumen craſſius ſparſa, & undique cum chorio, quod corticis membranæ adhæret, connexa. In eodem pullo albuminis reſiduum, in quo chalazia elegantiſſima cum albicante lutei macula cohærebat: Vivebat cum præcedente pullo 24 horis poſtquam è furno exemptus.

15. & 16. Pullus jam totus pennatus, capitique pellis, & oculis palpebræ quæ penitius adductæ, contrectatus roſtrum diducebat, citra tamen vocis emiſſionem. A corde diſtinctè quid primò ſe concitabat motu, quod utrum auriculæ ejus eſſent an pulmones, nondum adeò diſtinctum fuit: quod potius pulmones eſſent, perſuadebat amplitudo partis commotæ, quæ tota rubicunda, & utrinque cordi aſſiſtebat: tum quod pulmonum alia veſtigia non obſervari potuerint. Stomachus amplus admodum, qui totus materia lacti coagulato ſimili refertus, cujus portio etiam inteſtinorum aliqua parte, imò. &

extra

Digitized by Google

extra fœtum reperiebatur, forſan id ejus excrementum craſſius: at cur in ſtomacho? Albuminis pars ferè tota conſumpta, cujus reſiduum lentum arteriis umbilicalibus pertextum albugineæ tunicæ adhærebat; arteria umbilicalis à vena optimè diſtingui potuit colore magis ſaturato, qualis in principio fuit in venis omnibus: deinde motu.

Retulit Senior operarius; ignem utraque parte furni cujuslibet per decem ſaltem dies adhiberi, quibus elapſis ignis ſubducitur, ovorumque pars dimidia in ſuperiorem furni partem transfertur, dimidia altera inferiore relinquitur: ſpiraculis omnibus pro conditione aëris vel apertis vel cannabe obturatis. Circa decimum hypenemia & infœcunda ova ab utilibus ad radios ſolares unicuique furno per foramen fornicis medii incidentes diſcernere, adeoque ſequeſtrare norunt. Ab initio usque ad finem operis ova multiplici indigent tranſpoſitione, partim ob calorem qui in omnibus æqualis eſſe debet, partim ob ſitum ipſius embryonis quem experientia probat varium eſſe debere: transponuntur verò ante lucis exortum, meridie, ſole occumbente, media nocte, idque operâ aſſiduâ.

17. Fœtus cum albuginea membrana a durâ

durâ facilè jam ſeparabilis fuit, quin & fœtus ſingulari aliqua ſubtili tunica velut amnio involutus videbatur. Concitationem illam, quam pulmonum arbitrabar, revera ipſarum auricularum aut ventriculorum ad baſin obſervavi: quod jam pulmones ad latera ampli & rubicundi conſpicerentur, cum thorace connexi & immobiles. Excrementorum magna pars etiam extra fœtum & quaſi peculiari veſicula ſuſcepta: nec deerant etiam liquida ſeu aquoſa, ſerum ſeu urinam forſan oſtendentia.

18. Contrectatus admodum reluctabatur videbaturque evolutus tenui quaſi amnio amictus: pulmo & cor eximiè purpurabat, epar vero ex albo luteum. Albumen totum jam conſumptum, reſidua lutei ſpiſſioris magna portione quæ fœtus quaſi ſtragulum. Renes, lien & cætera viſcera optimè perfecta.

19. Fœtus jam fortior, totus tamen intra ſuas tunicas proprias, chorion ſcilicet & amnion contentus. Aderat & excrementorum tenuiorum & craſſorum aliqua portio: lutei pars cum fœtu erat connexa, imo in abdomen fœtus jam attrahi cœptum erat, quæ licet amplam materiam referebat viſcoſam,

ſam, in quibusdam locis ſubviridem & corruptam, quod melior pars in nutrimentum jam faceſſit: Videbatur adhuc arteria umbilicalis dextra per eam ſparſa, altera jam vena in albuminis exiguam portionem diffuſa, quæ inſtar dilatatæ veſicæ chorio cum vaſorum umbilicalium maxima parte adhærebat. Pulmones præ cæteris omnibus partibus rubicundiores, hinc cor, deinde renes, epar ex luteo albicans. Totum ſeparavi œſophagum, in cujus medio, burſæ inſtar, abomaſus conſpiciebatur. Inteſtinis excrementi quid & bilioſi viridis aliqua parte inerat. Hiabat aliquoties, ſed ἄφωνος.

20. Fœtus ampliſſimus. Vaſorum umbilicalium unicum tantum ſuperſtes cum albuminis exſiccati portiuncula. Totum luteum ſatis magnum in abdomen jam erat attractum cum duobus vaſis umbilicalibus, quæ arteriæ videbantur, at revera venæ potius, per latè patens jam ante abdominis foramen, per quod inteſtina alias procidebant: eo tempore nondum corticis rupturam aggreſſus erat: ex contactu valdè concitabatur.

21. Jam cortex cum menbranis tranſverſim parte ſuperiore diviſus erat, per quam

quam aperturam roſtrum fœtus oculis obvium erat: nihil per ipſum & membranam intra corticem reſiduum erat, una tamen vena umbilicali cum condenſati albuminis particula ſuperſtite, & craſſorum excrementorum aliqua colluvie. Totum luteum in diſtento abdomine continebatur, cui duo vaſa, quæ arteriæ videbantur, connexa. In ſtomacho materia jam magis citrina & portiuncula quædam viridis: inteſtina bilioſis excrementis plena: antequam cortex rumperetur jam pipilabat; præſente Adm. Rev. Patre Paulo de Lodis: pectus totum ſubinde elevabatur.

Biduum poſtquam erupit, citra nutrimentum degit lectulo & calore conſueto contentus, ſi interea temporis non divenditur, ovi luteo (cibo ſcilicet conſimili) cibatur.

Furni conclave habet unum amplius anterius & convexum, in quo operarii ſtabulantur: unum item vel duo alia, in quibus ova allata aſſervantur: ex priore anguſto ſed brevi flexu ad partem itur quæ furnos ſpectat, quæ cum aliis admodum humilis & ſtricta ob calorem qui circa ſuperiora convexorum major eſt. Horum ad minimum

qua-

quatuor eſſe debent, ut locus ſit inſtar balnei undique calidus, tum ſibi invicem oppoſiti. Extruuntur ex lateribus, extructi ligno congeſto identidem ſuccenſo exquiſitè prius ſiccantur, lateresque nondum cocti indurantur. Fieri hoc opus in univerſo Ægypto & etiam Alexandriæ conſtat: nec vel pluvias aut caloris mutationes operarii diligentiæ detrahere: fieri etiam poſſe in Europa ſi tempus eligatur æſtivum, ſaltem ovorum copia præſto ſit. Erant autem furnorum numero ſedecim, ſic ut utrinque octo ſibi eſſent oppoſiti. Situm habent admodum declivem, ut præcipua eorum pars ſub terra ſit, reliqua pars aggeſtâ ſenſim terrâ ſolo coæquatur. Furnus quilibet duas habet partes ſeu ergaſteria, ſuperiorem ſcilicet & inferiorem: ſuperior gibba eſt ſeu convexa, inferior ferè quadrangula: diſtinctæ ſunt pavimento craſſo ex trabibus ligneis tenui luto inductis, & lateribus impoſitis firma compage conſtructo, in cujus medio foramen quadratum longitudine & latitudine quinque ferè palmarum; huic in convexo furni ſpiraculum imminet latitudine & longitudine ſpithamam adæquans. Eidem huic furni ſepto transverſo anterius & poſterius focus eſt con-

connexus, quia pavimentum denſum admodum, in quo alitur ignis, componitur ex lateribus amplis craſſitudine duorum digitorum, confectis è tenaci luto quod ad ſolem exſiccatum: uterque ſecundum latitudinem internam furni productus; in longitudine quatuor palmos, profunditate verò duos tantum continens. Inferior pars furni foramen habet ſeu oſtium anterius, cujus altitudo pedem unum cum palmis tribus, latitudo pedem & quatuor fere digitos continet. Connexa furni pars tria continet oſtia, quorum unum anterius, duo ad latera poſita ſunt: anterius altitudine duorum pedum & duorum quaſi digitorum, latitudine pedis unius & trium ferè palmarum; lateralia furnos dextrâ lævaque vicinos reſpiciunt, horum latitudo ad baſin duorum pedum, altitudo duorum pedum & ferè trium digitorum; adeoque omnia illius capacitatis, ut ea operarii toto corpore perrepere poſſint, ſuo tempore cannabe diligenter obſtruenda. Spiracula, præter id quod in medio connexi eſt, duo reperiuntur, quorum unum ſupra oſtium inferioris ergaſterii ſub diaphragmate furni: alterum ad ſupernam regionem oſtii lateralis. Longitudo interna furni eſt in ergaſterio

Digitized by Google

gaſterio ſuperiore ſeptem pedum & quaſi trium palmarum : inferiore totidem pedum & paulo plus minusve. latitudo furni parte ſuperna & infernâ quinque pedibus internè producitur. Altitudo a fundo ad convexam furni partem ſeptem pedes & quinque fermè digitos complectitur. A ſepto ad convexum altitudo eſt quatuor pedum, & digitorum totidem : à fundo ad ſeptum transverſum eſt altitudo duorum pedum & ſex digitorum : reliquum ſepti craſſitudini aſſignatur. Murorum aut parietum craſſities inſignis eſt, ut anterior oſtii ſuperioris paries pedem unum, & tres palmas contineat ; & loquor hic de pedibus geometricis, non vulgaribus. Atque hæc furnorum quantitas eſt, quorum unusquisque ſeptem ovorum millia complecti poteſt. Intermedium, ſeu porticus inter furnos oppoſitos ſuperius convexum habet, cum ſpiraculo cuilibet furno reſpondenti pro numero eorum : inferius in quadras diſtinctum, luto exaltato, cui ambulantes operarii inſiſtunt pedibus ne pulli excluſi conculcentur. Hujus intermedii altitudo eſt ſeptem pedum & digitorum circiter octo. Latitudo duorum pedum tantum & totidem fermè palmarum. Spiraculum etiam januæ imminet. oppoſita verò

 portæ

portæ pars ſeu latus in ſinum efformatum eſt, in quo cannabis reconditur.

Materia ignis eſt fimus equi (vel bubalinus,) palea nutriti, qui exſiccatur & pulverizatur.

Penes Cophthas Chriſtianos pullitici, geometriæ, arithmeticæ, literarum, artium mechanicarum in Ægypto veſtigia, tanquam genuinos incolas temanſerunt.

Repetitò inſpexi ovorum ſeriem anno 1632. 7. menſis Maji in Maamel, villa parum à Pyramidibus diſtante, præſente D. Grydio Medico Gallo. Ovum quod primam alterationem acceperat ſeu fundationem ſeminis: In hoc ſupra luteum, quod retuſam partem ſpectabat, chalatium inſertum videbatur ſatis grande, per quod albicans quaſi craſſiuſculum filum tranſibat.

In ovo, quod ſex horis calori erat expoſitum, ſupra luteum conſpiciebatur corpuſculum rotundum albicans, in cujus medio aliquod ex luteo flaveſcens quaſi centrum, magnitudine ſeminis Sesban, quod forte cordis rudimentum. Sub eo flavum ſ. luteum ovi in rotundam quaſi foſſulam ſubſidebat, quæ ſpermatica materia plena videbatur.

In

In ovis duobus, quæ duorum dierum cum dimidio, fœtus exiguum corpuſculum ſuperius quaſi recurvum, quod in foſſula ſupra luteum coſpicua & ſemine vel albumine plena deliteſcebat. In hoc cor perfectè efformatum & ſanguine turgidulum admodum concinnè movebatur, ſpectante id ipſum Illuſtriſſimo Jo. Donato, & Doctiſſimo D. Georgio Philipono, agitatione duabus horis propemodum ab effracto cortice durabat, quamvis tribus horis ante è furno exemptum eſſet. Paulo inferius prodibant venæ duæ umbilicales, quæ ex ampliore trunco in tres minores, & tandem minimos utrinque ſpargebantur. Arteria umbilici ex profundo ſinus recte ſurſum ferebatur per lobum jecoris amplo trunco ſub corde implantata. Corpuſculum totum vix aſcaridem magnitudine ſuperabat, niſi quod ſupernis partibus conglobatius conſpiciebatur.

Epar in excluſo pullo ex pallido luteum; ſed Cor ſtatim rubicundum. Ventriculus coagulo plenus. Excrementa intra Chorium & Amnion albicantia. Pulmones rubicundi & obſcuri coloris.

 II. *Ovi*

Digitized by Google

II.

Ovi ſecundum horas accuratior inſpectio.

ANno 1636. Ovum 30 horis ſub gallina fotum, exhibebat in luteo maculam rotundam pallidulam, ſimilis coloris, ambiente orbiculo circumſcripto. In ejus medio corpus exiguum ſpermaticum rotundius collectum, quod ſenſui oculorum non tamen ſatis ſibi conſtanti agitari videbatur.

Ovum 36 horarum, in luteo pallidius flaveſcentem maculam exhibet, ſed ſuffuſis quaſi nubeculis hinc inde variegatam atque direptam lunata tamen ſui rotunditate. In medio ſubſidet albidum corpuſculum, rotundum annuli inſtar ſeu circuli, in cujus medio ſinus aut ſubſidentia quædam obſcurior: in oppoſitis lutei partibus annexum albumen & grandinellæ. Simile planè in alio ejusdem temporis ſe obtulit. In utroque albicans in centro corpuſculum, remotâ membranâ, ſtylo contactum nondum cohærentiam obtinebat, ſed quaſi fluidum.

Ovum 25 horarum, maculam exhibet pallidius flavam, alio deinde candidiore quaſi orbiculo ſuccinctam. In medio album corpu-

corpuſculum ſeminis lentis effigie, in medio ſinuoſum, in quo in longum porrectus quaſi exiguus vermiculus aſcaridi parvulo ſimilis.

Ovum duorum dierum & 8 horarum, vermiculum majorem exhibet, ſuperius globoſiorem, ſubobſcuro ibidem puncto inſignitum. Totum corpuſculum rubicunda ſatisque ampla quaſi linea ſecundum longitudinem pervadit, quæ vena ſcilicet cava & arteria magna conjuncta ſunt. Sub medio utriusque ramum porrigit. Sub capite ſurſum porrigitur ramus, qui deinde bifariam in circum rotundatur. Sub globoſa vermiculi parte corpuſculum perexiguum, motu ſyſtoles & diaſtoles etiam ſub aëre frigidulo per dimidiam horæ quadrantem ſeſe movet, quod rubicundus color figurâ rotundâ arguit. NB Motum celerem fuiſſe non ſine vicinarum particularum agitatione obſcurâ. Membrana chorii latius abſceſſerat, & humor quoque luteus ſub vermiculi corpuſculo ſubſidebat, aqueo lentore ſuffuſus.

In ovo duorum dierum tantum, eadem ſed obſcurius apparebant, maculâ tamen inæqualiter dirempta. Motus cordis velox ſed ob humid. & frig. aëris conſtitutionem brevi ceſſans.

 In

In ovo poſt duos dies exactos ab incubatu, luteum variis orbibus depictum conſpiciebatur, quorum centrum albicans corpuſculum continebat, ambitus integer & minor, primus ſcilicet croceus circumfuſa obſcuriore linea terminabatur: alter major, qui crocei pariter ſed magis ſaturati coloris, hunc circumdat tertius pallidior, variiſque nubeculis quaſi albeſcentibus variegatus & diremptus, ſequitur luteum & forſan ob hum. & frig. aëris conſtitutionem haud pervenit ad perfectionem.

Ovum duorum dierum & 6 horarum vermiculum exhibet ſimilem: & ejus umbilico vaſa duo dextrorſum lævorſumque, tertium item deorſum porrigebatur. Corculum tanquam extra corpus à protenſis vaſis pendulum, veloci & ordinato motu etiam poſt horæ quadrantem concitatur, ſenſim exinde tardius. Capitis obſcurum rudimentum, ſubſidebat juxta illum ſuper luteum corpus albicans, quale primo die exacto conſpici ſolet.

Ovum unius diei horarumque 18. in cujus medio ſubſidentia gemina, major & minor, aqua veluti turbidula plena, per eam vermiculum referens corpuſculum, oblongum, ſupernè globoſum, ob ſummam pelluciditatem

tem non facilè conſpicuum, ab eo inferius, dextrorſum item lævorſumque rubicundæ lineolæ ſubtiliſſimæ ramificabant, non continuati ductus, ſed minutiſſimorum quaſi punctorum congerie conjugatæ. Sub ipſo alia deinde ſurſum porrecta, hinc inde in circulum diducitur, ſimiliter punctulis adunata. Supra hunc orbiculus obſcurior, deinde alius pallidior, circa quem iterum alius nubeculis quaſi variis diremptus, qui denuo ab alio extimo pallidiore, & magis continuato ſuccingitur. Motus cordis non perceptibilis, eratque tempus matutinum frigidulum.

In ovo exacto jam biduo corpuſculum longulè protenſum erat, quod linea inſignis rubicunda totum permeabat. Motus in eo cordis & vicinæ auriculæ evidens, velox per horæ quartam perſeverans. Sub eo ſurſum ductus ſemidiameter in circulum continuati ductus finditur, intra cujus peripheriam puncta inferius plurima diſperſa, qua pariter ab utroque fœtus latere venularum propagines innumeræ ſurſum deorſumque diſſeminantur. Ramus peculiaris autem ad circumferentiam fertur, quemadmodum in progreſſu reliqui etiam, circulo undique hiſcente. A circum-

ferentia etiam aliquot ramuli introrſum feruntur, ſed breves.

. Ova duo, unius diei & hor. 12. continebant fœtus corpuſculum, vermiculi inſtar extenſum, ob pelluciditatem cognitu difficile; vaſa umbilicalia ob ſummam tenuitatem araneorum textum æquantia, & corculi punctum, non niſi intepeſcente demum ovo ſpectabilia fuere: porrigebatur corpuſculum ſupra ſinus quaſi duos, majorem & minorem, qui profundior & albicans corpus continere conſpicitur, quod per initia contuemur. Corculum ſummæ exilitatis, micare ſubinde & ſurrigi, vix tamen evidenter, judicabatur.

Ova duo, jam exacto biduo, ſimilia offerebant viſui quæ ante, exceptis punctis & ramulis à peripheria introrſum ſpectantibus.

Ova duo unius diei & 19 horarum, corpuſculum exhibent ſupernè globoſum ſed extenſum, ob pelluciditatem perceptu difficilius, cujus caput in ſinu repoſitum conſpiciebatur, reliquo vermiculo in longum protenſo. Sinus albidius & in ſemilunæ ſinuatum corpuſculum continet, quod alius deinde & oblongior latiorque ſinus amplecti conſuevit. Vaſorum umbilicalium & in circumferentiam &

Digitized by Google

am & per latera diductorum ſubtiliſſimæ & viſum pænè fugientes ſtricturæ aderant, punctata ſerie cohærentium. Intepeſcente ovo, ſub globoſa dicti corpuſculi regione craſſiuſculum punctum agitari videbatur, oculis in re minutiſſima vix fidem ſibi promittentibus.

Ovum duorum dierum & 12 horarum eadem quæ antea continebat; ſed fœtu mortuo cor non pulſabat, ad cujus vas umbilicale dextri lateris corpuſculum candicans conſpiciebatur. Ovum alterum ejusdem ætatis fœtum optimè vivum exhibebat pulſu cordis & unius lateris auriculæ evidentiſſimè & puerulorum pulſu celeriore. Corpus ejus inſigne vas rubrum ejusdem coloris à corde quaſi protenſum, circa quod ampliſſimum. Quamvis autem aſpectu ſimplex, revera tamen geminum, vena & arteria.

Ova duo ferè trium dierum lateralia vaſa longius & numeroſius diffuſa ad vas usque circulare, quod duobus lateralibus exilius apparebat, & nonnihil obliteratum: imò à protenſis lateralibus divelli, ſenſimque iis coëxtendi videtur. Cordis motus evidens, celer, per horæ dimidium conſtans; ſed mirum quod ab inſigni vaſe quod corpus fœtus per-

reptat ad cor (quaſi ſejunctum quid eſſet) duo exiliores rami porrigebantur. Sed mobile ipſum trifolii ſpeciem exhibebat, cujus partes duæ, cor ſcilicet & auricularum una, alternatim evidentius, tertia, forſan arteria deſcendens, obſcurius movebatur. Fœtus amplior ad muſcæ tenuioris magnitudinem pervenerat; caput amplum, recurvatum verſus pectus, atque in uno etiam jam manifeſtus oculus & membrana uvea cum pupilla perquam puriſſima quaſi corpus lucidum transparebat. Vaſa fœtus membranæ albuminis jam largius ſecedenti nonnihil cohærebant, quo placidiſſimè tamen ſeparato, integræ permanebant. Luteum ipſum dilutius & quaſi aqua ſuffuſum, ſupra quod fœtus, præcipuè capitis mole profundius ſubſidebat. Vaſa omnia ejusdem coloris ſanguinem continebant adhuc.

Jam ſeptimus erat Junii, tempusque ob noctem imbribus madidam frigidiuſculum, cum hora matutina 12. inſpecta præcedente die horâ 20. ova, fœtibus & vaſis umbilicalibus ſalvis, denuò oculis admoverem: dextrè exemptos fœtus impoſui ſupra microſcopii nigricantem baſin. Tum verò in utroque amplum caput, & oculorum liveſcentium globi longè ma-

manifeſtius obvii erant. Caput ſupernè cryſtalli inſtar pellucidum, ſummaque totius cutis in fœtu perſpicuitas & tenuitas. Sub capite (poſtquam fœtus in longum ſtylis exporrectus & quantum fieri poteſt ad naturalem ſitum reductus) cor ſatis magnum, conoidali figura, albidum, in eo utrinque ſanguis duobus ſcilicet locis hærebat. Tumidulum tamen reliqua ſubſtantia ubi ſanguis non erat, æqualiter glacum nullis apparentibus ſtaminibus aut villis. Hoc ſeſe à baſi (quamvis 15 horis ab ovorum apertione exactis & dimidia dum in microſcopio hæret) tardè ſed evidenter adhuc ſe movebat in utroque fœtu. Sub corde corpora multa alba nondum figuris ſuis ſatis diſtinguendo viſebantur, ſupra quæ vaſa umbilicalia ferebantur.

In ovo ferè quatuor dierum eadem ſed ampliora, vas orbiculare exile & propemodum obliteratum, reliquorum vaſorum ad ſeſe extenſorum quaſi terminus. In oculis pupilla, ſub corde latius albicans corpus, & gyri lactei cum rotundiore corpore, ventriculi & inteſtinorum, hepatiſque rudimenta præ ſe ferebat.

Ovum aliud quatuor ferè dierum, eadem obtinebat. Cor (poſt 6. horas frigefactis omni-

omnibus per microſcopium inſpectum, adhuc lentè movebatur: ſed ob ſitum inconcinnum capitis fœtus in hoc & præcedenti ovo figura naturalis cordis non rectè ſe offerebat. Aderat album ſub corde corpus, aliudque minus forſan ventriculi &c. primordia. Sed etiam crurum rudimenta.

In ovo trium dierum ab horis 16. jam elapſis Cor in microſcopio adhuc pulſabat ſupernè ſanguine diſtinctis locis plenum, reliquo tractu ſeminale albidum, non tamen flaccidum, ſed ſpermatica ſubſtantia plenum. In viſceribus abdominis concreta quædam albicantia diſtingui, niſi conjecturaliter, haud poterant.

In ovo quatuor dierum; quæ in abdomine ſunt conjecturâ magis quam certo ſenſu diſtingui potuere, alarum & pedum, cum uropygio jam rudimenta aderant. Uterque fœtulus quaſi ſubtiliſſimus amnio obductus conſpiciebatur, aquâ repleto.

Ovum ſex dierum exhibebat in capite diſtinctius bullas quaſi tres, quarum duæ poſteriores, una anterior & ipſa intercurrente quaſi vena ſecundum longitudinem diſtinguebatur, ſub qua ad latera nigricantes oculorum ampli orbes, per quos uveæ tunicæ iridem

dem exprimens denſior fuſcedo, & pupilla clarè ſe manifeſtabat. Inter oculos, roſtri albicantis rudimenta retuſa, reliqua capitis & cerebri jam glaucesſere, nec amplius pellucere conſpiciuntur. Circa pectus alarum productiones ſed ut in reliquis osſeis partibus tunc temporis apparent, rudes, molles, nullisque articulorum & osſium diviſionibus diſtinctæ. In pectore cor, fœtu jam ruptis umbilici vaſis in pelvi poſito & propemodum ſicco, diu languidè pulſabat. Turgidulum, & duobus ſinibus ſanguine plenis diſtinctum. In abdomine jecoris albicantis & ventris ſacculus cum inteſtinis nonnihil evidentiora, cum pedibus productis ſed rudibus.

Ovum ſeptem dierum, circa caput, cranii & palpebrarum circa baſin globoſi oculi exortarum quaſi rudimenta habet. Cor remota cute, dilutè rubeſcere, duabus rubicundis auriculis primo, deinde & reliquo corpore per pulſum ſe concitante, arteriarum & venarum color quam diverſus. Jecur ut die ſexto obſcurè, ſic ſeptimo clarius ex albo luteum colorem acquirit. Ventriculi ſacculus adeſt, & inteſtina cum umbilici vaſis protracta. Pedes in digitos jam diſtincti. Movebatur prima vaſorum disſolutione & apertura ovi.

Ovum

Ovum 8 dierum, fœtum perfectiorem habet. Oculi ejus jam ex dimidio aperti. Cor albidius purpuraſcens, cum motu auricularum evidenti. Pulmones diſtingui non poterant. Jecur à luteo nonnihil flaveſcens, cum ventriculi & inteſtinorum ſacculo. Vaſorum color diverſus. Fœtus ad ovi apertionem movebatur. Extremis ſuis jam diſtinctius articulatim, circa collum & dorſum quaſi aſperior cutis pennularum rudimenta exhibebat. Poſt 5 horas ſiccato fœtui adhuc pulſus inerat, cor albicans quidem ſed ſucci plenum, auriculæ rubræ, quæ ſe concitabant, reliquo cordis corpore parum aut nihil in ultimis ſe commovente. Pulmonum indicia non conſpicua. Lien remoto ventriculo ad latus ſe prodebat, ex albo dilutius rubellus.

Ovum undecim dierum, præcedente omnia evidentiora habebat. Caput tectum, oculi propemodum aperti. Cerebrum addenſatius, licet oſſa cranii mollia. Roſtri extrema cartilaginis orbiculus muniebat. Cor rubicundius pallens, amplum, plenum, juxta quod tamen pulmones viſui ſe non offerebant. Jecur impenſius flavum, & ſubtus nigricante folliculo bilis inſtructum. Ventriculus amplus, ſolidus. Lien & teſtes in con-

Digitized by Google

conſpectum non venerunt. In habitu corporis toroſum muſculoſum pectus & coxæ omnino adhuc alba: jam pennarum primitiæ præſto fuerunt, albis adhuc ipſis muſculis, fœtus tamen movetur iisdem. Diu jam diſſecto per medium cerebro, cordis auriculæ ſæpius & celerius ſe movebant, reliquo cono languidè ad extremum tamdiu, conſtante priore motu adhuc non amplius ſe attollente. Sed mirum hic, quod in unâ auricularum pulſus hic ultimo ſubſiſtebat, in altera tandem ceſſabat. Externarum extremæ etiam internodiis diſtinctæ ſunt. Jam duodecim exactæ erant horæ, cum diſſecto corpore, diviſo cerebro, laceratis viſceribus, & abruptis umbilicalibus vaſis, adhuc cordis auricula ſe moveret. Arteriæ umbilicalis amplus & primarius ramus ad candidum ovi fertur & contra venæ ad luteum. Venæ umbilicales ad portæ truncum ſe videntur recipere: arteriæ ſupra ventriculum per jecoris fiſſuram ad cor conſcendunt, quo loco inſerantur obſcurum. Sanè arteriæ ex corde prodeuntes conſiſtentia & colore albo multum ab art. umbil. differunt. Obſ. Anno 1637. 6. Maji.

III. *Con-*

Digitized by Google

III.

Contra Cremoninum de ſemine fœminino.

CRemoninus de Semine Dictato V: Fœmina etiam partes ſpermatis materialiter non formaliter habet ad uſum generandi ſeminis. Sic mulus & mula, item mus ex putrido genitus, vaſa habent, non uſum, quia non generant. Ib: Teſtes glandulæ ſunt. Item: humiditas in vaſis ad uteri humectationem, ut & dilatetur & à ruptura ſit immunis. Album eſſe & lentum, non eſt de eſſentia ſeminis. Voluptas mulieris à partium ſenſu, & humiditatum in glandulis commotione.

Ib. Dictat. VI. ſanguis fœminæ habet in ſe vim determinatam, ut fiat ex eo animal homo, magisque fœmina quam maſculus; item eſſe vim individualem ut fiat talis fœmina in quocunque horum duorum intimorum, ſi ſuperatur à ſemine ſcilicet virili, fiet mas & patri ſimilis. Eadem vis determinata eſt ad animal, hominem, magisque maſculum, & talem individuo maſculum, eſt (inquam) in ſemine virili: quæ ſi à fœminina vi ratione virium ſecundum ſexum & proprietatem indi-

Digitized by Google

individualem ſuperetur, fiet fœmina, matri ſimilis. Cauſa hujus varietatis præcipuè calor, qui cum aliis qualitatibus in commixtione varios acquirit gradus. NB. Sed hoc eſt concedere fœminæ vim agendi ratione ſui principii. O Cremonine! Ib. Dict. VII. Inconveniens & ſuperfluum fœminam & ſemen & ſanguinem præbere.

Ad Illuſtriſſimum Nicolaum Contarenum circa ſententiam Cremonini.

SExuum diverſitas, ut non infert diverſitatem ſpeciei, ſic nec varietatem principiorum ad ſpeciem propagandam. Longe probabilius dicitur, voluiſſe Naturam in homine animantium nobiliſſimo ſexum diſtinguere, ut mas principaliter concurreret ad ſemen & calorem ſeminis magis vegetum ſuppeditandum pro generando mare: fœmina verò præcipuè ad conceptum nutriendum & geſtandum, ſic tamen ut ſemen quoque exhibeat, ex quo partes minus præcipuæ & ſecundinæ fiant, & quod ſemen viri ad fœminæ generationem & efformationem viam det, vel etiam id ipſum dirigat cum vegetius fuerit.

At cur fœmina in ſe non generat? quia

ferrum ejus non ſe movet, niſi cum præſens eſt virilis ille magnes. Nec per ſemen ejus omnia fiunt, nec ex eo partes omnes, potiſſimum principes. At neque calor paulò intenſior vel remiſſior primarius hic artifex; ſed, ut fatetur Ariſtoteles, natura & ſpiritus qui hoc inſtrumento utitur, quare ut materiam, ſic efficientem cauſas ſexuum quaſi limitibus Providentia ſeparavit, id eſt, primus ille omnium & optimus finium finis. Per pauciora aliquid fieri bonum haud eſt; ſi per plura id fieri melius erat. Dicere, quod vaſa in muliere ſpermatica formam tantum externam, non uſum habeant, quod teſtes earum glandulæ tantum ſint & affluentium humiditatum ſpongiolæ: ſubſtantiam, quæ in tubis uteri conſpicitur, conſiſtentia, colore, odore virili ſemini perſimilem, liquorem exiſtimare ad laxandum vel irritandum uterum comparatum: Id verò aliud eſſe non videtur quam, relicto ſenſu cum Ariſtophanæo Socrate, ἀεροβατεῖν & naturam, ſerio agentem & ex præſcripto numinis, ludentem fingere. Calor ſpecie idem, idem ſpiritus, eadem natura, ſubjectum utriuſque ſpeciei idem, qualitates tantum & agendi vires diſpares, ad mutuam tamen unionem: ſumma συμπνοίᾳ καὶ

σύρρα-

Digitized by Google

συῤῥοία. Mulus & mula quod non generent, imperfectio in illis eſt non naturalis: Si generent, id non ex accidente fit ſed cauſis agentibus per ſe & perfectè. Murem ex putredine genitam, id eſt feminio ſuæ ſpeciei perfecto, non generare, fides ſit penes authores, vel reſpondendum idem quod prius. Jam in Dictato ſexto concedere ſanguini menſtruo determinatam vim, qua poſſit virile ſemen & in ſexu repræſentando, & individuales fœminæ proprietates exprimendo ſuperare; quid aliud quam activam facultatem in ſemine muliebri portis quidem excludere, feneſtris autem admittere? Odi profanum genus, quod in hoc libero veri ſtudio authoritatem potius quam veritatem tuendam recipit. Mihi in re tam occultâ magis placet ingenua communis ignorantiæ confeſſio, quam ambitioſa quædam & pertinax ſubtilitatum profeſſio. Non agnoſco in cauſis generationis contrarietatem naturæ, ſed diverſitatem in gradibus operandi: adeoque concurrit natura nec plus nec minus operando quam determinatæ ſpeciei perfectio requirit, ut in homine ſic in animalibus.

Digitized by Google

I V.

Ex Anatome Viperæ.

CErebrum viperis mole perexiguum; maxillæ duæ largo tractu patentes, quarum ſuperior non per ſe, ſed cum capite, cui per hormoniam juncta eſt, movetur. Lingua anguſta eſt quæque in extremitate biſulca cernitur, cujus utraque extremitas livido colore ſquallens denuò in duos quaſi apices finditur, qui rhetoribus creduntur ex uſu eſſe pro Pithone in labris ſeſſitante. Dentibus utraque maxilla peracutis triangularibus, ſed valdè exiguis, armata eſt: inferior tamen quatuor inſignes dentes habet, quorum in utroque latere duo, alter altero major & humilior, figura falcata, magnitudiniſque notabilis, ſi gingivis denudentur, in quarum ſpongioſa & laxa carne quaſi quadam vagina reconduntur, & furiis exagitata beſtiâ recluduntur. Veſiculas ibi nullas obſervavi, pro quibus laxa illa gingivarum carne quibusdam forſan impoſuit, quæ compreſſa flavæ bili ſimilem materiam effundit. In dentibus formaliter venenum conſiſtere, argumentum eſt, quod dentes exempti & vetuſti armis aut telo affricti, ſimilem iis pernitiem communicent, qua ſuper-

ſuperſtite beſtia præditi dicuntur. Adde quod dentes 4 tam oblongi, ſummè tamen acuti & exiles, facilè aliquem nervum ſubter partem pungunt: unde illa ſymptomatum repentina exacerbatio. Angelus Baldus tractatu Anatomiæ Viperinæ ait, bilem cum ſanguine ad dentes usque ſubvectam ab iis veneni demum naturam adſumere.

Pulmones rariſſimi ſunt & oblongi, aëre turgiduli, in quos aſpera arteria largo tractu deſcendens bifurcatur. Oeſophagus validis membranis cum ventriculo conſtat: inſigniter dilatari poteſt, cum beſtia, digiti mediocris craſſitiem vix adæquans, paſſerem integrum cum pennis omnibus (ut in Cairo vidi) item lacertulos &c. inglutire poſſit.

Stomachus oblongus epati connexus, in cujus capacitate in vipera, quæ per 20 dies jam in vitro aſſervata fuit, quamplurimos lumbricos teretes vivos reperi. Signum ſcilicet, nec in carne nec in humoribus quicquam animantium naturæ deleterium deliteſcere.

Cor capſula ſua cluſum, arterias educit, non niſi lentè morte contabeſcit. Epar oblongum admodum nec lobis diſtinctum, à quo cyſtis fellis ferè digiti latitudine ſeparata

Digitized by Google

ta dependet, quæ in jejunum inteſtinum ramum demittit, fabæ propemodum magnitudinem adæquans: hoc ipſum fel venenatum non eſſe experimento conſtat.

Lienis longitudo memorabilis, qui nigro penitus colore perfuſus eſt, ſuffultus pancreate amplo. Renes pariter duplices, pyramidali figura in longitudinem projecti: unus tamen altior eſt altero. Sub quorum ſiniſtro veſica magna dependet ſemine plena, quæ ad teſtes videtur deſinere.

Penem habet duplicem, qui ſuperius cartilaginoſa ſpina exarmatur, unde in congreſſu, mutuis ſpiris contorti, juncta mulier ut vena alicubi aperiatur, irritata maſculum quidem morſu impetit, non tamen ſauciat, aut caput, ſicut dicitur, præſcindit. Simile in fele fœmina obſervatum prodit D. P. Aſellinæus. Teſtes ſunt 2. cylindracea forma. Fœtum vivum educat mater lacte.

Cerebri paucitatem medullæ dorſi copia largiter compenſat. Ureteres in inteſtinum rectum deſinunt: veſica namque deſtituuntur viperæ.

V. *Ex*

Digitized by Google

V.

Ex Anatome Crocodili.

CErebrum habet mole parviſſimum; dorſi tamen medulla ampla, quæ nervis inſignibus originem præbet. Maxilla ſuperior capiti per harmoniam jungitur; adeoque cum illo movetur: inferior mobilis quidem, ſed obſcurè, niſi caput irritatum animal erigat: muſculos conſtrictorios habet validiſſimos, qui pariter motum ejusdem comprobant. Dentibus utraque maxilla peracutis munita eſt, nec illi extra os (ut inquit Paræus) exſerti ſunt, ſpinoſi admodum & validi. Maxilla utraque maxima longitudine prædita, ſuperior tota oſſea, niſi quod anterius exigua habet foramine pro naribus.

Linguam voraciſſima beſtia nullam habere videtur, nec aliud ibi præterquam in inferiore maxilla membrana durior & aſpera: ad gulam gutturque deſinens, contra Paræum: cum natura redundantia non producat. Revera enim lingua crocodili ſub maxillæ inferioris aſpera pelle quaſi laxo vinculo comprehenſa deliteſcit, adeoque in deglutitione quando opus attolli poteſt, motui tamen non ſapori accommodata videtur. Maxillam inferiorem evidentiſſimè movet.

Digitized by Google

Aſpera arteria ſuperius ſcutiformi & tenui cartilagine conſtat, hinc circulis cartilaginum integris longo tractu in pulmones duobus ramis diſpeſcitur. Vocem edit quaſi bovinam, ſed altiorem ex intervallo, nullaque ratione flexu à modulo variatam.

Pulmones duos elegantes & raræ texturæ ſortitus eſt, quibus color ex rubro flaveſcens. Cor pericardio ſuo eleganter obvolutum, lentiſſimè conficitur, ſurſum prorſumque commeantibus arteriis ſcaturiginem exhibens.

Oeſophagus ſtatim à principio latè expanditur, & quo ſtomacho vicinior in anguſtum contrahitur: nimirum ut, deficiente linguæ miniſterio, deglutitio majore cum facilitate ſuccederet. Ventriculum habet ampliſſimum, & profundum, ex duabus validiſſimis membranis contextum, in quo inferius orificium ſuperiori admodum vicinum, & eadem quaſi parallela continuum eſt, ne, quod avidiſſimè beſtia abſorpſit, ante exactam ὁμοίωσιν è ventriculi complexu deturbaretur. Inteſtina prout in aliis quadrupedibus meſenterio connectuntur, inter quæ rectum illud, cum ſit & urinæ & excrementi ſentina, largius expanſum eſt. Epar ſortitum eſt eleganti

ganti

Digitized by Google

ganti purpura perfuſum, cui cyſtis fellea ſatis ampla ſubnectitur, quæ in duodenum ſeſe exonerat, venis quaquaverſum diſperſis radicem præbens. Huic in ſiniſtro latere è diametro Lien opponitur quantitate eximia præditus, figurâ trigonum repræſentans ſcalenum, cujus angulus acutior Epatis convexum propemodum contingit. Hypochondrio quidem ſiniſtro annexus eſt, ita tamen, ut majore ſui portione verſus anteriorem potius quam poſteriorem corporis ſedem propendeat: colore Epar valdè æmulatus, ut revera cum divino ſene οἷον ἧπαρ adſeverari queat: Lac enim (ut dicitur) lacti non adeò ſimile eſt, quam ille Jecori. Lumbis renes incumbunt mole ſatis ampli, parte parenchymatis inferiore nonnihil acuminati, è quibus prodeuntes ureteres non in veſicam, qua penitus animal hoc deſtituitur, ſed in recti inteſtini latus utrumque porriguntur & deſinunt. Lactes in Crocodilo mare inter Epar & Lienem, quibus veluti fulcimentum ſubjiciuntur, magna quantitate diffuſæ viſuntur: quæ cum maſculorum tantum inſigne eſſe arbitretur Literatiſſimus Junius, videat, quid ſenſui & obſervationi contrariæ opponat, quum communem pancreatis uſum in omnibus obtineant.

Teſtes in maribus cum pene Natura ſub cute abſcondidit: qui vetuſtate reſiccati moſci odorem exhalant. Fœminam oviparam eſſe referunt, ingentis ſcilicet magnitudinis animal, exiguæ teſtæ ambitu inter primordia ſua circumſcriptum, enititur, unico tamen partu numeroſam prolem effundens.

Oculos habet amplos intra capaciſſimam orbitam reconditos, quorum tamen, ob palpebrarum conniventium laxitatem, parva portio in conſpectum ſeſe profert, adeoque ſuillis oculis non ineptè comparantur.

Pellis univerſi corporis craſſa eſt & denſa, ſquamis obſerta duriſſimis, adeoque vel magnam ab externis injuriis violentiam facilè eludit. Squamarum aliæ majores ſunt; aliæ minores grandioribus intertextæ: ſub alvo in teſſellas ſive tetragona conformantur: quo dorſi partibus magis approximant, quadrati & oblongi figuras exprimunt. Sub ventre in planitiem æquantur, per dorſum verò in montium velut acumina leniter aſſurgunt. Per ſuperiora dorſi à capite ad extremos usque caudæ verticillos, ex luteo nigricant, verſus alvum & ſub alvo, tum internis pedum partibus, lacteo candore nitent

Caput univerſum cum majoribus dorſi ſqua-

Digitized by Google

ſquamis, maculis variis nigris tanquam hieroglyphicis eleganter exornatum eſt. Scapulæ rotundioribus ſquamulis parallelis quaſi textu phrygio redimitæ conſpiciuntur. Sub alvo ſquamarum laxior compages eſt, quibusdam veluti cartilagnibus cohærentium, atque adeò violentius vibratam cuſpidem facilius transmittit.

Cauda tandem in minutiſſimas pinnulas terminatur, ſerrata quadam ſerie ex majoribus in minores gracileſcens, natanti beſtiæ palmula & remigium agile & commodiſſimum. Contrahitur cauda duobus validiſſimis muſculis, adeoque cum à venantibus oppugnatur beſtia, crebris & validiſſimis ictibus caudæ ſeſe vindicat. Pedes anteriores quinque digitis præditi ſunt, unguibus armati robuſtiſſimis, quibus, cum ex aquis prodit, facilius gradum ſtruit, & ſi quid invaſit ferocior Harpyia, firmiſſimè comprehendit. Poſteriores verò pedes quatuor ſaltem digitis conſtant, unguibus pariter inſtructi, ſed quos, ut in anſerinis & anatinis pedibus, lentiſſima pellis intercedit, quibus expanſis, cum natatu flumen tranat, aquas profluentes fortiter protrudit.

Muſculos abdominis ſubtiliſſimæ ſpinæ per-

Digitized by Google

pervadunt. Tabacus ipſi internecinus eſſe videtur. Cerebrum duo quaſi proceſſus ſ. medullæ dorſi videntur, uti in piſcibus aliis.

V I.

In Anatomia Hyænæ, præſente Illuſtriſſimo Aloyſio Cornaro Coſſ. Cairi.

IN ventre, remota cute, ſtatim panniculus ſeſe obtulit, revera quaſi carnoſus, colore perfuſus rubicundo, præcipuè ad collum denſiſſimus.

Ex muſculis abdominis pyramidales non adſunt. Recti muſculi nullis diſtincti nodoſis tendinibus, à pectoris coſtis carnoſo principio oriundi, in oſſa pubis utrinque nullo manifeſto tendine deſinunt, vena pariter cum mammaria, tum hypogaſtrica, transverſim tamen, ramos ſuos per muſculorum corpus diſtribuebat.

Ventriculus ingenti mole totam quaſi hypochondrii capacitatem occupabat membranis contextus craſſiſſimis, ſummopere ingeſtorum copia infarctus. In cujus capacitate pilorum & oſſium, pugni quantitatem adæquan-

Digitized by Google

æquantium, ſingularis congeries deprehendebatur, fœdo & abominabili odore præditorum. Orificium ſuperius nervos inſigni magnitudine conſpicuos, numeroque plurimos ſortitum fuit.

Epar non adeò amplum, lobis tamen quam frequentiſſimis diviſum, cujus pars major in ſiniſtro hypochondrio ventriculi fundum parte quadam aptè contegebat. Sub concavo ipſius cyſtis fellea viridiſſimi coloris, tribus aut quatuor protuberantiis inæqualis: ramum tamen habebat epaticum, qui manifeſto ductu circa duodeni finem terminabatur.

Lien è ſiniſtro hypochondrio anteriora verſus protractus, tibialia infantis compreſſa continuâ figurâ exprimens, colore præditus rubicundo, interiore tamen circumferentia lividus: Epate durior, mole tamen longe minor.

Renes utrinque formâ rotundâ conſpicui, nullis à peritoneo membranis tecti; à quibus ureteres validi & ampli in veſicam deſinunt. Hæc quantitatem maximam obtinebat, urina turgida colore liveſcente imbuta, quin & aliam quaſi ſuccenturiatam veſiculam è dextro latere ſibi annexam habebat. Umbilicalis vena viſu deprehendi non potuit.

Pulmo-

Digitized by Google

Pulmones in utroque latere elegantes, colore ex miniato candicantes, maculis per totam externam ſuperficiem purpureis inſigniti, exiguis.

Cervix craſſa & muſculoſa, robore pollens maximo, cujus vertebra prima duos continet proceſſus laterales πτερυγοειδεῖς, admodum præ cæteris omnibus prominentes, longitudine trium, latitudine verò quaſi duorum digitorum; ex quibus cauſam eruere licet, quare bellua hæc caput ad latera & poſtica contorquere commodè non poſſit.

Caput calvariam habet utrinque ſuperius compreſſam, per cujus latera usque ad verticem ſummum temporalis muſculus craſſiſſimus, latiuſcule expanſus aſcendebat: Cerebri perexiguum: maxillas admodum robuſtas, quæ dentibus armatæ non longis quidem & acutis, ſed obtuſioribus & craſſis, adeoque vel duriſſimis non cedentibus.

Totum animal truci aſpectu lupinam feritatem ſpirat; altitudo corporis duorum cubitorum, latitudo trium; os quam in lupo longè contractius; aures tenues, pendulæ & oblongæ; dorſum totum cum cauda ſetis quaſi ſuillis denſiſſimis obſitum eſt, in latere alvo & pedibus pili molliores & breviores.

Color

Color ex luteo albicans, maculis circa ventrem & pedes ſtriatis & nigricantibus diſtinctus. Pedes canini, & unguibus muniti craſſiſſimis.

Morticinas carnes, & cadavera ſumma cum aviditate venatur, unde & in ſepulchretis deliteſcens ferè ab inſidiantibus circumvallatur & capitur. In Ægypto frequens eſt hoc animal, in qua & à paupercula plebe in cibum expetitur. Carnem ipſius ægrotantibus ſingulariter ad ſanitatem conducere ſibi perſuaſum habent, adeoque ſpirans adhuc dum pellem ipſi detrahunt, morſibus impetunt, ut à doloribus coli & moleſtiis liberentur. Penem ipſius abſcindebat Gianizerus noſter, qui pulverem ejus auditui conducere pro comperto habebat. Excoriatores beſtiæ per foramen, ſecta parum in pede cute, totam inflare mirum in modum potuerunt, quod tamen an ad faciliorem pellis detractionem conducibile ſit, non adeò patuit.

Barbari Dobbe vocant, quod communi nomine Lupum denotat, quem animal hoc totius corporis habitu repræſentat.

Digitized by Google

VII.

De Infante vivo, die poſt matris obitum ſecundo, ex utero prodeunte.

Reſponſio ad dubitationes 2. Anno 33. 4. Auguſti.

PRoponitur Hiſtoria talis à 6. Januarij Anno 1633. peracta: Nobilis quædam domina partui ſeptimeſtri vicina, cum fœtus validum motum horis matutinis percepiſſet, epilepſia correpta circa nonam horam veſpertinam 6. Januarij Anno 1633. obiit, corpus defunctæ ſtragulis coopertum in lecto, ut facies depingeretur, relictum fuit. Septimo dum hæc fiunt accedentes mulieres ventrem, renes, dorſumque calidum reperiunt cum lecto, circa os pituitoſus humor in labia ſtillare conſpectus. Nocte ſequente mulieres & duo ſacerdotes juxta corpus vigilantes, crepitum & rugitum quendam ventris defunctæ, tum ejusdem ventris commotionem ſurſum, & paulo poſt ſubſidentiam animadverterunt cum ſibilo inſtar vagitus, ſed metu perculſi non auſi corpus detegere. Adventante die, idem ſibilus adhuc per aliquod tempus auditus fuit, quod erat 8. Januarij, quo inter decimam

cimam & undecimam horam detecto corpore invenerunt inter femora demortuæ infantem maſculum tepidum, labris rubentibus, adducto ſcroto, minimo fœtore præditum: qui poſt temporis aliquod ſpatium rigidus & frigidus evaſit.

Hic quæruntur duo:

Utrum dictus infans tanto tempore poſt obitum matris potuiſſet naſci ſi non vixiſſet tempore ſuæ nativitatis, quod confirmant exempla Schenckii l. 4. de feb. obſerv. 184. Hor. Augen lib. 5. Epiſt. 2. c. 2. Joh. Matthæus in quæſt. Medicis. Guil. Fabric. obſ. Chirurg. Val. Max. de Gorgia. Confirmat rationibus Gregorius Nimmannus diſp. de vitâ fœtus in utero. Utrum non ſequatur infantem poſt ſuam nativitatem vixiſſe, ſed poſt ſanguinolentam videlicet materiam aut per opercula extinctum ſuffocatumve fuiſſe?

Caſus propoſitus quamvis habeat aliquid raritatis, nihil tamen abſurditatis: nec adeò monſtroſus, licet per accidens fuerit infantulo exitioſus, quem vivum in lucem eluctaſſe nemini dubium videri debet: rariſſima id convincunt exempla, quibus derogare fidem non eſt ſapientis, imò nec ſentientis. Unum addo: E ſuſpenſæ mulieris utero, ſe-

cundo à ſupplicio die, fœtum prodiiſſe vivum, ſub Henrico Julio Brunſuigæ & Luneburgi Principe. Quæruntur duo: Ad primum ſic habendum eſt, omninò tempore nativitatis ſuæ vixiſſe. Non enim ſimpliciter moriente matre moritur fœtus; ſortitur enim vitam propriam mediante calore & ſpiritu ſeminibus inſito: quem ideò Galenus ἔμφυτον cum Philoſopho nominat. Quamvis eum parum circumſpectè naturam & animam ipſam pronunciet lib. de tremore, palpit. &c. Luculentum ejusdem teſtimonium eſt lib. 6. de placitis, in quo diſertè adſerit, facultatum corpus noſtrum gubernantium initium, (adeoque & facultatis vitalis) non ex utero ſed ex ſeminibus infanti provenire. Illud interim vero conſonum eſt, quemadmodum extra uterum: ſic in utero ad facultatem vitæque continuationem, requiri conveniens alimentum, dicti caloris ſpiritusque pabulum, quod per umbilici vaſa fœtui ſuppeditandum eſt. Non tamen conſequens propterea fuerit, deficiente derepentè alimento, ilicet alumnum extingui, maximè ſi ſanum ſit corpuſculum & vires vegetæ. De aëris interceptione, quam ſubitaneæ mortis defuncta matre cauſam præcipuam nonnulli arbitrantur, quæ referunt,

non

non habent ſolidæ rationis fulcimentum ullum, nec Galeni de ligatis umbilici venis adſertio l. VI. de uſu part. meretur fidem, cum experimenti cenſuram non ſuſtineat. Hoc certum eſt, fœtum ut inter initia nullo, ſic in progreſſu, dum utero clauditur, aëre perexiguo indigere, nec reſpirare ex Galeni mente; ſed tranſpirare ſolummodo. Quod ſi jam grandior fœtus illo carere non poſſet, cum totum corpus robuſtis nervis commovere poſcat, quidni thoracem, quidni thoracem pariter ad aërem hauriendum commoveat? Nec ipſi defecerit τὸ διὰ πάντων διήκειν στοιχεῖον, cui metallorum ſoliditas permeabilis, ne dum in ergaſtulum quod poris omnibus patulum, & cujus oſtium præcipuè circa menſes partus minimè concluſum. At verò moriuntur plurimùm fœtus vel cum matre vel paulò poſt: Fateor, ſed hactenus ut vel ipſus ægrotaverit, vel diuturno & gravi parentis morbo exhauſtus, aut in exitu diu multumque luctatus & colliſus vires perdiderit. In dato nobis caſu infans nihil horum fruſtra perpeſſus, qui nec præcedentis ægritudinis ullas exhibuit notas, nec præſentis cum mater diem ſuum obiret: quin potius roboris & vigoris, tanquam brevi relicturus hoſpitium, fato non

amplius ſuum. Non item parentis affectus ipſi multum obeſſe potuit, cum ſubitaneo paroxyſmo terminatus fuerit, & talis qui viſceribus naturalibus non repentinam adeò vim intulerit. Accedit, quod non parva ſubſit ſuſpicio, matrem nondum mortuam fuiſſe cum id corporis immobilitate & pulſuum obſcuritate vel interceptione reprimeret, ob ſalivam die ſequente primum erumpentem, maximè calorem circa lumbos & ventrem ad idem tempus perſeverantem: atque hæc in epilepticis & hyſtericis non infrequenter notantur. Ex quibus omnibus effloreſcit, infantem in caſu propoſito, nativitatis ſuæ tempore vixiſſe, & tanto tempore (quamvis ob incertam maternæ mortis horam non adeo determinato) in auras luminis prodiiſſe. Impulſus alimenti defectu & uteri blando calore fatiſcente: nec adeò laborioſus fuit exitus, cum ætate ſeptimeſtri nondum magna adeò membrorum moles, & ob præcedentem lochiorum copioſam proluviem maternus ſinus laxaretur.

Ad alterum quæſitum ita reſpondeo: neceſſariò fœtum ex utero vivum prodiiſſe; mortuus enim vel in fundo matricis vel ejuſdem collo ſubſtitiſſet, cum extincta puerperâ nullum

nullum impulſus aut nixus externi principium ſuppeteret. Quod autem jam eluctatus ad tempus aliquod ſupervixerit, declarant corpuſculi tepor, odor minimè fœdus, rubor labiorum, præcipè autem ejusdem vagitus aliquoties evidenter auditus: donec tandem alimenti nimiâ penuriâ, laſſitudine gravi, ſanguinisque morticini maligna qualitate confectus, & ſuperatus, infelici parenti comitem præbuit, in ipſo vitæ limine impingens mortique maturus.

Conſideret aliquis, artificioſo calore myriades aliquot pullorum uno tempore ex ovis excludi nullâ conveniente matris opera: Vidi decimo nono die partui vicinos pullos valido motu intra corticem ſeſe volutantes, nutrimenti & aëris uberioris indigos, qui tandem ſibi ipſis roſtro corticem pungentes viam pararent &, quamvis magno labore, tandem tamen umbilico erupto & dehiſcente putamine ſeſe in lucem vindicarent.

Quæ 3. Kal. Aug. circa quæſtiones ab Adm. Rev. Viro Magiſtro Seraphico Favio mihi propoſitas, feſtinante manu perſcripſi; eadem præſentibus hiſce nihil in protographo mutando veluti rata mihique probata confirmo. Nimirum vivum in lucem prodiiſſe

diiſſe fœtum, matre quantumlibet extinﾭcta. Sic tamen omnia expreſſi, ut in communi hac intellectus caligine facem clariorem prælucenti lubens meritoque obſecuturus ſim. 11. Jan. Anno 1634.

VIII.

Ἀξιομνημόνευτα *Anatomica poſt Syntagma Anat. ult. Edit.*

ANno 1668. 13. Decembr. Obſ. *Pancreas* ſub jecore Portæ undique circumfuſum; (tanquam ad jecur niſi productum ad pancreas nil pertingat) meſenterio ſub jecore tertia ſui ſed parte magis diducta inſiſtens, communique membrana junctum. Duodeno latè firmiterque junctum: ultra Lumborum vertebras verſusque lienem productum à nexu meſenterii jam liberum, & Lieni duplici tunica inſertum.

X. Decembr. Pedes Hippocampi à nervis opticis diſtinctos, obſ. De concurſu vel 500. hominum eruditorum cum Gravid. mul. & curioſiora demonſtrarentur; præſent. Illuſtriſſimorum Rectorum, præfect. Urb.

XVII. Decembr. Obſerv. Pancreas ſuperius

perius & inferius, qua jecoris portæ ſubjicitur, membranâ meſenterio communi operiri. Vix cavum jecoris aliquid intrare quod pancreas non tangat. Stylus aperto duodeno in pori biliarii oſtium inſertus, meatum pancreatis intrabat, qui ſecundum longitudinem lienis præparatum tenui è membrana productus videbatur, amplior in medio itinere; nil tamen humiditatis continebat: quemadmodum nec porus felleus. Durum enim erat jecur, & hominis hydrope confecti. Nempe cultris opus acutis.

Arteria ſplenica tortuoſa quidem, pancreati tamen innexa, præcipuè prope exortum ſuum.

Jecore ſupra partem anteriorem converſo, poſt Portæ truncum & arter. Cœliacæ dextræ duos ramos jecur ſubeuntes, nervi duo eximii, cum glangliis ſimilia aliquot corpora: multos item ductus nervorum æmulos, forſan lactei deprehendi &c. non absque interventu meſentericæ pinguedinis &c.

Cremaſter muſculus revera membranæ inſtratus eſt, è qua caro ejus ſeparari poteſt; illa verò ab altera ſubjecta, quanquam utraque tenuis, ſejungi poteſt.

Speculum lucidum eſt revera tenuis quæ-

Digitized by Google

dam cerebri expanſio. Nervi optici baſin cerebri arctè complectuntur, & verſus nates dictas prominentias conſurgere videntur, quæ fors Gal. thalami: Pedes Hippocampi, ſubtus eandem baſin attingunt.

NB. Detectis hippocampi pedibus, nervi optici progreſſus detegendus, & explicandus, hinc inſertio Hippocamporum.

Nates cerebri videntur ſub gland. pineali; teſtes verò duo minores & elegantes ſub infundibulo.

XVIII. Dec. In capite infantuli, nervorum paria diſpari magnitudine erant, quemadmodum in adultis.

XXX. Dec. In muliere obſervavi venam epigaſtricam exortu duplicem, & in oppoſito ipſi latere deorſum revolvi ampliorem venam, & hypogaſtricis jungi, quæ ad uteri vaginam feruntur.

Inverſo rene ex arteria emulgente ſiniſtra, ramulum, tum ad membranam adipoſam, tum ad glandulam ipſam deferri præſentibus multis oſtendi.

XXXI. Decembr. Arter. obſ. cœliacam, à cujus dextro *pyloricum* & gaſtrepipl. dextrum ramum: à ſiniſtro ante diviſionem, emittit Coronarium, ſ. gaſtr. majorem & etiam

Digitized by Google

etiam minorem, poſt diviſionem à ramo ſuperiore três breves arteriolæ venas comitabantur: à ramo inferiore gaſtro-epiploicum ſiniſtrum.

Arteria ſplenica parum aut nihil intorquebatur; eratque vena ſplenica triplo minor; ſed pancreati ad lienem usque inhærebat: profundior tamen erat vena ſplenica, cujus minuti in pancreas aliquot ramuli conſpiciebantur.

Pancreas, qua parte jecoris portæ propinquum eſt, meſenterio inſiſtit, ejusque membranis jungitur; verſus lienem liberius eſt & omento ſociatur. Obſerv. ſub jecore anterius præparvum eſſe arteriæ cœliacæ ramum dextrum, & ramum pyloricum &c. poſterius inſignem varietatem venarum lactearum, ſed à pancreate aſſurgentium & non aliunde (ut falſo opinatur Hofmannus), quod centro ibi meſenterii proximum eſt. His remotis, ſubditum portæ deſcendentis truncum detexi, ad cujus latus ſiniſtrum è ganglio plexus nervi ad portam aſſurgunt jecoris.

Tubæ Uteri nervuli cum ductu teſtium nullam obſ. continuationem veram; è tuba in uterum diſtincto poro ſemen protrudi potuit: è teſtium ductu nihil: forſan quia illi

 exina-

Digitized by Google

exinaniti. A teſtium tamen ductu ad cervicem ductus ſingularis minor porrigi videbatur.

Nervorum ad pedem delatorum par primum & exile, remota peritonæi incumbente membrana, ad latus internum rami iliaci externi deſcendit, ſecundum in pſoas muſcul. deliteſcit profundius, è quo eruendum: tertium ſupra foramen oſſis pubis ſeſe prodit. Quarti paris quartum & infimum initium ex oſſe ſacro prodiens, remoto prius ligamento quod operit illud, demittit nervum mediocrem ſingularem, cujus pars ad flexorum tibiæ propinquorum capita videbatur ire: an ad glutæos etiam?

In cerebro muli hippocampi pedes & optici nervi in idem baſis cerebri punctum incidere videbantur. At ex oppoſitorum quamvis in idem concurſu, quæ mutuæ productionis, quemadmodum concurſus eorum, verum potius principium ſenſu noſtro ſit baſis cerebri.

Anno 1669.

11. Jan. Recenſui ſex nervorum paria, exacti Veſalij in t. 2. l. 4. c. 14. tum meæ convenientia. Cutis circa deltoidem & internam brachii

Digitized by Google

brachii regionem prope I. & VI. par provide ſeparanda. Tertius ramus quarto craſſior erat.

In cerebro nervi optici bombyces (plus ſolito ampliores & baſi cerebri injunctas,) conſcendebant inſigni magnitudine verſus poſteri. ſ. baſis reflexi: hippocampis in exile acumen ſupra bombycum dorſum finem ſortientibus.

Quintum & ſextum par nervorum cervicis ad ſcapulæ & colli muſculos ramos porrigere optimè deſcrib. Veſalius t. 2. l. 4. c. 12. Fruſtra ergo Riolanus eosdem ad plexum brachii euntes ab ejus nervis excludit, inter quos evidenter ſunt.

Confirmat Veſalij opinionem & numerum nervorum Sylvius Iſagog. l. 2.

In femore paria nervorum à Veſalio l. 4. c. 17. confirmantur: quem de 2. paris nervo ad pedem excurrente vide. Item à Sylvio.

III. Jan. Oculorum muſculi 4 recti, tendines habent magis determinatè expanſos & à ſcleroide vix ſeparabiles. Secus in animantibus· Conjunctiva ad corneæ circumferentiam ſejungi poteſt. Cryſtallinus humor, utrinque lenticulam facie evidentiſſimè compreſſus.

Oriſ.

Orif. inf. ventric. habet intus apophyſin evidentem, obſ. Riol.

XIV. Jan. In puerulo 9 menſium pyramidales muſc. tendinoſo corpore ad umbilicum quidem aſſurgebant; nervulus autem Urachi evidenter ulterius extrorſum tendebat: ſalvus enim adhuc erat umbilicus. In alio infante, quum pyramidales deeſſent, nil occurrebat urachi nervulo ſeriò conjunctum.

Jecur fœminæ leviter coctum, deraſo leniter parenchymate, exhibebat ramos aliquot portæ & Cavæ inſignes invicem per latera conjunctos (utcunque ſeparabiles). Oſcula minutarum venarum etiam lenis parenchymatis tractus ſolvit.

Jecore infantis cum interioribus remotis educto, ſtylus per umbilicalem venam promptiſſime in cavam adeoque dextrum cordis ventriculum pertingebat. Ita inſerto tubulo in umbilicalem inflatoque derepente, tum aſcendens, tum deſcendens, Cavæ truncus intumeſcebat.

Membrana carnosâ & quicquid membranularum pinguedine imbutum eſt, exacte ſummotis, nil præter propriam muſc. obliq. deſ. membranam ſuperſtes videtur.

In 8 menſium infante membranæ carnoſæ

noſæ granulatim annatam pinguedinem habebant.

Ex anatome publica.

XVII. Jan. Exquiſitè remotis pinguedine imbutis membranulis, propriâ tamen muſculus oblique deſcendens membranulâ opertus erat.

XVIII.·¡Præter arter. cœliacas, octo ad ventriculum ſparſas, quemadmodum 31. Dec. obſerv. ita & in præſenti: ſed arteriola inſuper una vel altera aderat breviſſima, è ſummo liene.

Oſtendi, qua parte pancreas albæ lienis lineæ inhæret, lacteorum ductuum veſtigia multa in muliere, quæ in ventre multum cibi potulentique habebat. Item, qua parte Ventriculus lieni adhærebat, multos meatus lacteorum æmulos, ſpectantibus præſtantiſſimis Dn. Caſp. Bevilacque Patav. Ph. & Med. Dn. Gregorio Horſtio Ulm. Gregorij filio.

XX. Jan. In muliebri corpore arteria unica erat, quæ cœliacam & meſentericam ſuperiorem dividebat; ſed hoc rarum; & fors unicum apparuit foramen: quia nimis hum. inſciſſa arter.

In Glandulam renalem dextram duæ amplæ

amplæ venæ ex proximo cavæ trunco; tum tertia minor ex emulgente aſſurgebat.

Valvula coli perexigua vel nulla, E. & colon parvum erat & ileum cum jejuno ipſi magnitudine ſimilia: venterque mire amplus.

Rectum inteſtinum altè quaſi membrana carnoſa veſtitum erat, ſic & ſub pingued. pudendi muliebris itidem manifeſta.

XXIII. In fœtu è Ventriculo in Pancreas multi tendere obſervabantur pori lactei, ſpectante Cl. Rhodio, Dn. Sueco, Utinenſe &c.

XXVI. Obſ. linguam oſſis hyoidis baſi parte intima, membrana ſ. ligamento innecti; Epiglottidem penitius eidem baſi: ſed ligamento conjungi: ipſa enim Epiglottis ſub baſin deſcendit.

XXVIII. Scroti membranas detexi, ſecundum cutem, membranam carnoſam, & ſub ea membranulam aliam forſan alias ipſi ſubtenſam. Hinc vaginalem manifeſtiſſimè duplicem; quamvis interior pars admodum tenuis, omnia tamen circumdabat; externa muſculum cremaſterem habebat exilem, facilè ab ea ſeparabilem, & vaſa præterea multa ad os deſcendentia.

In virgine nubili Hymenem obſ. ex ſimplici

plici rubra membrana omnia velantem, ſine externis duabus carunculis, ſolo meatu urinario carne tumidulo. Reſciſſa undique membrana, optimè intus apparebant vaginæ carnoſæ productiones: quod eſt contra Riolanum.

XXX. Oſſis hyoidis cornicula duo externa & totidem in baſis concavo interna exilia notavi: Sed omnia cartilaginea. Sed hoc fatetur & Riol: in Oſteol. ſecunda.

Muſc. frontis auric. occipitales, inter ſe ſejunctos obſervavi.

Platysmamyodes non inhæret immediatè maxillæ inf. potius muſculis ejus incumbit; adeoque commune quid præſtat.

Muſc. fac. labiorum à cava maxillæ ſuper. ortus, non fertur ad labrum inferius, ſed prope Zygomaticum, ad extremum labii ſuperioris terminabatur, contra Riol. Attamen prope communem naſo & labio muſculum, alius parvus, tereti propagine ab elatiore oſſe propinquo auctus, deſcendebat.

Pericranium ſupra muſculum temporalem manifeſtiſſimè duplex apparebat.

XXXI. Speculum lucidum eſt ſubſtantia tenuis ipſius cerebri.

I. Febr. Reperi circa brachii totius muſculos

ſculos membranam tenuem ſed lentam, in corpore parum pingui: quod communis muſculorum membrana dici poterat: ni adipoſa potius ſtatuenda.

Muſculum tenuem lati tendinis Pſoas muſc. inſtratum, corpus virile in femore exhibebat.

In dorſi muſc. remota pingui cum membrana carnoſa, apparet membrana muſculis inſtrata, quæ & ipſa tamen in obeſis pinguedine reſperſa. In brachio undique ſtriatim & validius inhæret & craſſior exiſtit.

In Publ. Anat. In Portæ ramis majoribus valvulas non reperi. Meatus Pancreatis albus, vacuus.

III. Martii. In Satellite interfecto, qua parte meſenterium & pancreas, & portam aſcendentem amplectitur, digiti minoris craſſitie; interpoſita arteria cœliaca dextra, & nervo à ſtomachali dextro, lacteorum meatuum elegantes amplique rami, (præter eos qui ab oppoſito latere aſcendebant) ad jecur aſſurgebant circa portam, quin & juxta lobum jecoris ad diaphragma repere videbantur: Forſan ut per illud ad Mammas ferantur, de quo ante 12. annos ab Alex. Damaſio Aſellii diſcipulo monitus fui.

Arte-

Arteria ſplenica ambagioſa & à pancreatis complexu libera, communi tamen ab omento membrana illi nexa videtur. Vena ſplen. ampliſſima, & ipſa longo tractu accumbere pancreati conſpiciebatur.

Quin & glandula quædam oblonga intra vaſa jecori proxima fuit; ſed lacteorum expers.

E portæ vena ramum inſignem venæ cavæ quaſi canalem etiam in adulto reperire eſt, denudato ſub jecore portæ trunco juxta latus dextrum, & umbilicali vena, ſi prope lobulum jecoris & vaſorum cavæ majorum orificia ſtylus demittatur verſusque portæ truncum protrudatur, inventoque aditu, ſupra ſtylum inciſio fiat. In eodem latere dextro inter duos ampliores portæ & cavæ ramos nexus inſignis conſpicuus.

XI. Martii. In cane aperto obſ. glandulas duas oblongas rubras in meſent. medio, prope quas deſignato plexu lacteæ concurrebant, ſed & ramis aliquot ad pancreas verum, quod totum albicans & amplum, aſcendebant, & ad jecur porrò contendebant.

Venis meſent. ligatis ſanguis ſurſum non movebatur: deorſum tamen digito compulſus eo remoto denuo aſcendebat.

 NB. Aſel-

NB. Aſellius in Tab. II. ſub litera Q. verum pancreas exprimit, ſub L. verò glandulas ſupra notatas: quod conſiderandum.

In Cane minore glandulas in centro meſent. 3. exterius albas intus rubras, ſub quibus ad pancreas, qua portæ venam & ramum admittit cholidochum, lacteæ venæ aſſurgebant. Erat pancreas totum albidum, amplum, & è proximo duodeno venas lacteas multas ſuſcipiebat, è quibus ſecundum venæ ſplenicæ & arteriæ ductum etiam ad lienem lactei ductus protendi videbantur.

XVI. Martii. In abdom. infantis meſenterium totum rubentibus glandulis a centro ad circumferentiam plenum. Pancreati amplo nitido, firmiter ſub jecoris porta connexum, quod deſcendentibus è jecore, & adſcendentibus eò vaſis, adeoque & lacteis, totum circumfuſum erat. Renes infans quatuor habebat præter capſulas. Erant vero magnitudine pares, quorum duo inferiores incurvati introrſum extremis ſuis ſe tangebant.

XXII. Mart. In lactante cane Meſenterium paſſim, qua venæ & arter. deſinunt, pellucidum glanduliſque deſtitutum eſt. At in centro (ſi modo res quæ circulum non deſignat propriè nomen hoc meretur) glandularum

rum in latum porrectarum concurſus eſt, quæ duæ tresve tantum intuitu primo tactuque videntur, in diſſectione tamen plurium congeries deprehenditur. Harum aliæ penitus albæ, quædam exterius albæ intus rubræ, quædam omninò rubræ conſpiciuntur, maximè quæ ſub venæ meſent. trunco conſiſtunt. Ad has deſcendit etiam in mediocri cane, vena portæ meſenterica, & in ramos ampliores digeritur, quatuor digitorum ſub jecore diſtantia. Pancreas commune totum quidem albidum, magnitudine inſigne. Ubera canis tota lacte plena, ad quæ & ſub muſculis abdominis, & præcipuè ſub jecore, ab aſcendentibus lacteis vaſis ſecundum ambitum diaphragmatis utroque in latere ſub diaphragmate lactei non ductus, ſed rivuli ac mæandri verſus principia rectorum muſculorum ſe diffundebant; idque ſub peritonæo diaphr. ſubtenſo.

XXVII. In Xenodochio mortuæ mulieris à vulnere lactei ductus egregiè conſpiciebantur, partim anterius circa porum bil. & portæ venam à pancreate ad jecur porrecti; partim verò poſterius, inverſo cum liene pancreate, ut jecoris pars, quæ lumborum vertebris adhæret, appareat. Ibi enim, intercedente arteriæ cœliacæ ramo dextro, digiti minoris

craſſitie plurium arctè conjunctorum plexus occurrit (qualem natura in nervis ad brachia diſtribuendis molitur) qui tamen pancreati inſiſtit, & cui pancreas circumfuſum, quod & hic inſignem habet craſſitiem. Infra pancreas nihil tale occurrit, quod canum meſenterio ſit conforme. Ab eodem plexu juxta lobulum jecoris, rami lactei verſus lumborum vertebras & diaphragma excurrunt. Hi quid in muliere pro lactationis officio præſtare queant, notum: quid autem in viro, obſcurum: an ad cor ejusve thymum aſcendunt? Arteria ſplenica non tortuoſa è pancreate emergebat, & eidem in progreſſu laxè jungebatur: profundius tamen vena ſplenica.

Glandulæ oblongæ utrinque ſub jecore deſcendentem Portæ venam ſtipabant; erat & ampla ſub emulgente ſiniſtra, prope truncum Cavæ.

Membrana proximè muſculis inſtrata, ſimilis erat & in abdomine & in dorſo: craſſior in manibus: craſſiſſima in pedibus. E. non una ſed 3. pl.

Nervi optici ſupra hippocampi pedes ad baſin cerebri aſcendebant: pedes autem hippocam-

pocampi paulatim in exile corpus attenuati proximè ſub ipſis concurrebant.

Nervi cordis inter arteriam magnam & arteriam venoſam à ſiniſtro recurrente ad cordis parenchyma deſcendunt; forſan & à dextro ſub arteria ſubclavia recurrente.

XXX. Mart. Diſſecto cadavere infantis Meſenterium in circumferentia pauciſſimis ac quaſi nullis glandulis præditum, abſente quoque pinguedine: circa vaſorum tamen majorum diremptus glandulæ rubicundæ ſatisque amplæ hinc inde conſpiciebantur. Pancreas magnum nitidum: arteriæ albeſcentes.

XIV. Martii. In puella nonimeſtri Omentum, quaſi nulla pinguedine obſitum, potiſſimum â fundo ventriculi, tum deinde colo tenuiſſimæ membranæ ſpecie propinqua inteſtina operiebat. Meſenterium non in oris quidem extremis, ſed prope majorum vaſorum divaricationes glandulis rubentibus multis, adeoque verſus pancreas quoque, præditum. Lacteorum meatuum eximia aderat idea, quæ circa dictas glandulas, non uno ſed diverſis in locis plexus producere ab eoque ſurſum verſus pancreas, qua Portæ venam admittit, contendere. &c. Lien amplus. Te-

ſtes vaſti & longi. Arteria umbil. Iliacæ internæ inſerebatur.

Mirum, quod plexus lacteorum, quamvis pollicis craſſitiem æquabat, nullis tamen meatibus pervius videretur. In Obſ. 27. Mart.

IX.

De Trifida lingua ſerpentum. Ad Pl. Rever. P. Seraſinum.

QUæ de linguis triſulcis heri non indiſerta lingua ſuadere conabatur Concionator, etiamnum ſuſpenſa habeo & ſuſpecta. Plinium video l. 11. c. 37. ſerpentibus linguam triplicem eſſe ſcripſiſſe; ſed ſcripſiſſe tantum, qui, ſi alibi dubiæ fidei, hoc in loco penitius & extra aleam ambiguæ videtur. Nec ſequitur authorem in Commentario Doctiſs. Dalechampius, interpres Plinianus candidiſſimus; ſed contrarium potius affert, bifidamque ſerpentium linguam. Mihi inſtar omnium Ariſtoteles, quem in animantium hiſtoria, veluti Ægidem Palladis, repugnantibus omnibus oppono. Is l. 2. de part. an. c. ult. ſerpentibus γλῶτταν δικρόαν, μακρὰν τε, linguam bifidam oblongamque tribuit, partibus

bus extremis in capillamenti ſubtilitatem attenuatis, ὥσπερ διπλῆν ἔχοντα τὴν τῆς γεύσεως αἴσθησιν, tanquam duplicem habentem guſtatus ſenſum. Nec aliter rem oculata fide comperi, qui viperarum, aſpidum, Ceraſtarum non paucas diſſecui, ſatis mihi conſcius, non aliunde quam ex Anatome Ariſtotelicæ veritatis certitudinem effloreſcere. Lacertos quoque & ſcincos tam fluviatiles è Nilo, quam maritimos, bilingues ſemper, nunquam trilingues obſervavi. Cæterum Camenalem Poëtarum familiam nihil eſt quod moremur: quid enim fabularum conditoribus non liceat? E quibus tamen haud illibenter Plautum in ſcenam revoco, genuinum Muſarum pullum, qui proſerpentes illas beſtias, in Pænuli A. 5. ſc. 2. biſulcilingues, in Perſæ A. 2. ſc. 4. bilingues pronunciat. Horatius trilinguem facit Cerberum; nec ineptè; Triceps enim bellua eſt, vel hydræ inſtar certè πολυκέφαλος, cum

furiale centum
Muniant angues caput ejus &c.

Sed ego manum abſtineo nugis dudum apud me exoletis, & in problemate poſito illud ſequor, quod catholicoteræ ſenſui, fideique magis conſentaneum eſt. Vale feliciter.

X.

De Renum laxitate.
Ad eundem.

Renes Illuſtriſſimi Viri debiles exiſtere, & immodico quoque calore correptos, abundè arguunt quæ in hiſtoria proponuntur indicia notæque omnes. Quod autem hic adjicitur renum tum dilatatio, tum relaxatio internæ ejusdem tunicæ, parum firmo nititur talo. Conſiderandum, dilatationem & relaxationem, tanquam contraria, ſimul eidem parti inſiſtere non poſſe: expendendus tenuiſſimæ tunicæ cum ſolido renum παρεγχύματι nexus: afferenda magis propria hujus ægritudinis, cavendumque ſedulo, cum adhuc judicem requirat controverſia, ne imprudenti adſtringentium uſu renum anguſtia, & ad acrium excrementorum receptionem proclivitas augeatur.

X I.

Conſilium pro Nobiliſs. Dn. Barone, ad vitioſam mictionem & gonorrhœam.

Affectus, de quo jam conqueritur Nobil. Dn. Baro, non eſt ſimplex, ſed varius. Pri-

Primum urina debito modo non redditur, ſed interdum intercluſo urethræ tranſitu ſubſiſtit, aut cum difficultate propellitur, aut frequentius interdum ad excretionem ſtimulat, quorum illud dyſuriæ, hoc ſtranguriæ ſpecies exiſtimanda. Accedit effluvium per virgam materiæ ſeminalis, vigilanti pariter ac dormienti continuum, atque adeò gonorrhœa. Cauſa vitioſæ mictionis procul dubio eſt materia craſſa & albicans, quæ cum urina quotidie redditur, vel quantitate nimia & craſſitie meatum urethræ obſtruens & liberum lotio tranſitum negans, vel ſalſo & acri phlegmate permixta crebrius ad urinæ propulſionem ſolicitans. Hujus autem materiæ generatio quam ob cauſam contingat, an ulcus in renibus exiſtens, aut deliteſcens in veſica calculus, diligenti disquiſitione dignum videtur. In renibus autem abſceſſum præſenti corporis diſpoſitione non ineſſe, abunde convincit, quod Nob. patiens pro ætatis ratione viribus corporis ſatis ſit inſtructus, nec niſi febricula ſaltem detineatur. Circa renum regionem dolor rarus & omninò obtuſus, qualis hiſce debilitatis adeſſe conſuevit; à multis jam annis cum materia quæ excernitur, nec ſanguis nec carunculæ, nec aliquid aliud, quod

 veri

veri puris ſpeciem præ ſe ferret, expulſum fuit. Materia craſſa tantum & albicans fertur, fœtoris præſertim expers, & tanta quotidie copia redditur, ut jam dudum renes penitus abſumi neceſſum fuerit. Ut omninò exiſtimemus abſceſſum, qui abhinc octennio Nob. Viro accidit, in renibus non extitiſſe; ſed vel in pancreate, vel meſenterio collectum potius fuiſſe, cùm non præceſſerint gravia nephritidis ſymptomata, nec per ureteres ad veſicam, ſed ſolum purulenta primum, deinde lenta & viſcoſa materia excreta referatur. De calculo major inquirentibus difficultas affertur, cum craſſum illud & album recrementum, quod in urina ſubſidet, ſimile admodum ſit illi, quod lithiaſi veſicæ laborantes profundere ſolent: & non rarò prodiderit experientia, calculis interiori veſicæ tunicæ accretis, nec ponderis moleſti ſenſum, nec motu & agitatione corporis dolorem circa partes affectas percepiſſe. Cæterum quia ordinaria calculi ſigna nulla in Nob. patiente deprehenduntur, & immiſſus cautâ manu catheter nihil tale manifeſtavit, melius ominamur, & copioſam illam craſſamque materiam è venis majoribus totius corporis ad renes, & ex his ad veſicam deponi exiſtimamus. Redundant in uni-

Digitized by Google

in univerſo corpore frigidi & craſſi humores, quos ventriculi capitiſque debilitas, & inordinata victus ratio, tum iter inter milites & arma transacta non parum auxit. Quod autem hujus noxiæ materiæ proventum ad renes potius demandet natura, efficit eorum inſignis debilitas, quam à decennio contraxerunt, ob graviſſimam confuſionem, per quos ſi convenienter non expurgentur, nihil mirum ſi Nob. patiens ex iis intra renes putreſcentibus horrore & febrium acceſſionibus ſæpius moleſtetur. Gonorrhœam partium & vaſorum ſemen elaborantium imbecillitas produxit, quam florentibus annis intempeſtivus & immoderatior Veneris uſus, equitationes & ſimiles injuriæ provexerunt, non absque pituitoſi & frigidi humoris miſcelâ: atque ideò affectus ſimplex potius videtur, quam ſoboles exoticæ luis.

Hi affectus cum jam diuturni ſint, altius fixerunt radices quam ut perfectè ſummoveri poſſint, ſpes tamen omninò eſt ut Nob. patiens à gravioribus noxis præſervetur, ſi medicamentorum operam ſtrenuè continuet, & victus rationem inordinatam declinet. Eò autem artis præſidia dirigantur, ut corpus diligenter & placidè expurgetur, impetus

tus humorum à renibus & vaſis ſpermaticis avertatur, ſtomachus, caput, affectæque partes roborentur. Quod verò ad remediorum materiam attinet: inter Chirurgica laudamus venæ ſectionem præſertim hoc anni tempore verno, quia præter phlegma ſanguinis in corpore non exigua quantitate, & jecoris paulo calidior conſtitutio temperetur: mittatur ex venâ communi brachii dextri pro virium tolerantia: quo nomine & ſanguiſugæ hæmorrhoidibus applicitæ plurimum probantur. Et cum à capite ad inferiores partes ferè defluxiones ferantur, fonticulum in brachio profuturum non dubitem. Interim purgandum corpus accuratè pharmacis blandioribus, quæ & innoxiè trahant redundantem humorem & ſtomachum languidum non offendant. Itaque pro primis vacuationibus laudamus el. lenitivum cum Crem. Tart. aut manna cum melle roſac. ſolut. & decoct. ſem. citri ex aqua menthæ. Inde placet humorum craſſorum præparatio ſyrupis ſive dilutis procurata, ut diutius in prima regione hæreant, omiſſis omninò diureticis, dum noxium humorem aliò divertimus, tales ſyr. fuerint de cort. citri, de mentha, de beton. cum oxymel. ſ. portione. Pur-

gatio

Digitized by Google

gatio poſtea inſtituatur paulò validiore pharmaco, cujus baſis conſtet agarico cum aliqua parte rhabarbari. Formulas horum ut & aliorum medicamentorum non præſcribimus Viris præſtantiſſimis, ad quos noſtrum hoc conſilium perveniet, cum & pro Illuſtriſſimi Dni palato variis modis effingi & pro re nata immutari poſſint. Ab hac purgatione nova opus erit præparatione hum. in penitioribus viis latentium, quod commode fiet ſyr. de calaminta, de ſtoechade, abſinth. cum portione oxymel. compoſ. cum jure pulli alterato mentha, roſmarin. ſalv. cum ſem. citri; atque ita repetatur purgatio pharmaco prius indicato, vel pil. aggregat. hieræ cum agaric. maſticinis & ſimilibus. Vacuabitur etiam peculiariter caput apophlegmatiſmis, & errhinis; ſed temperatioribus, ne caput inde incaleſcat. Tum ad detergendos renes & vaſa ſpermatica, tum etiam eosdem corroborandos, probamus uſum aquarum thermalium ſulphuris & aluminis mineram obtinentium, & eorum etiam ſtillicidia ſupra ſtomachum debilem. Quod ſi horum operam Nob. Dn. reſpueret, commendamus diuturnum uſum juſculi alterati ligno ſaſſafras, nephritico, lentiſcino, rad. chinæ cum fl. malv.

malv. Terebinthin. item ſive diluto juſculo, ſive cum pulv. nuc. moſc. boli forma ſumatur: aut conſerv. menthæ cum ſem. coriand. agni caſti, coral. & marg. pul. Per id tempus laudamus horis nocturnis inunctiones perinæi ol. nuc. moſc. maſtichino, nardino; & fomentum ex mentha, rosmarino, abſinth. pont. cort. citri prius exſiccatis, in vino rubro factum. Sed his accedit accuratior victus ratio. Utendum certo ciborum delectu, qui nec ventriculi robur ſuperet nec cruditate & craſſitie excrementitios humores accumulet. Utilis familiaris potus vini medicati ex lentiſco, ſaſſafras, cum port. ligni nephritici: & tandem frequens uſus alicujus lenientis jucundi & ventriculum detergentis. Quo nomine electuarium lenitiv. cum pulv. myrobal. cheb. & tartari Crem. probamus. Aërem declinet humidum & craſſum. Ineuntem ſenectutem non otio hebetet, ſed moderatis exercitiis firmet, quæ ut horum lætâ & conſtanti uſurpatione Nob. Viro non minus longa quam ſalva contingat, faxit Panaceæ æternus author & parens Deus!

XII. *Con-*

Digitized by Google

XII.

Conſultatio pro Illuſtriſſimo Franciſco Piſano Chirurgica.

LApſus cum vehiculo Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Dominus ſcapulam cum ſupremo humero graviter ad terram illiſit, cum contuſione vehementi oſſis humeri, ubi in illud deltoidis, aniſcalptoris & pectoralis muſculi tendines inſinuantur. Humerus ſtatim immobilis permanſit. Accerſitur ſoperarius, qui, ſubjecto axillæ pugno, os prolapſum in locum naturalem compellit, cujus argumentum, quod dolor circa articulum ceſſaret. At verò cum dolor intermedio humeri loco perſeveraret, deligatio firmatrix decenter adhibita non fuit, adeoque rurſum os è ſinu ſuo prolapſum eſt. Igitur poſt aliquot dies à ſatis exercitato Viro adhibitis quatuor validiſſimis extenſoribus repoſitio, ſed exiguo cum profectu, tentata fuit: tandem etiam ab eodem artifice ſcala fuit adhibita, qua mediante repoſitum fuiſſe pronunciavit artifex. Sed poſt 30. aut 40. dies accerſitus iterum excidiſſe confeſſus eſt. In præſenti ſtatu duos agnoſco affectus, luxationem & humeri medii contuſionem. Luxationem adeſſe facile inſti-

inſtituta partium comparatione deprehendimus ex ſignis à magnitudine, à figura, & actionibus diminutis depromptis. Etenim humerus evidenter prolongatus etiam conſpicitur, altero idque ſiniſtro breviore ſub claviculâ, cum uterque humerus attollitur, in affecto loco ſinus ſeu cavitas occurrit. Inferior humeri proceſſus internus extrorſum converſus. Denique motus extrorſum ſurſum verſus facilior, introrſum verò & retrorſum difficilior. Ex quibus omnibus conficitur, caput humeri deorſum verſus interiora axillæ procumbere.

Cauſa primitiva ex enarrato caſu nota eſt: cauſa verò recidivæ partim ſinus lubricitas attractis ob dolorem humoribus in tam obeſo corpore redundantibus, partim ligamentorum à contorſione & extenſione nimia laxitas, unde inter caput oſſis & ſinum arietatio & colliſio percipitur. Cæterum perfecta ſit luxatio, an παράρθρησις, inquiſitione dignum eſt. Exiſtimo autem imperfectam eſſe luxationem hoc ſtatu, licet haud negaverim initio perfectam fuiſſe: nullus enim ſub axilla tumor tactui obvius, qui ob tam ampli capitis prolapſum totalem adeſſe deberet, non tam inſignis humeri elongatio eſt, ut proportione capiti oſſis reſpondeat: nec

mutua

mutua adeſſet colliſio, denique motus non diminutio, ſed abolitio potius deprehenderetur. Eventum ſi animo concipere licet, facile prævideo, perfectam motus voluntarii recuperationem ſperari vix poſſe, meliorem tamen membri uſum acquiſitum iri penitus confido. Sic igitur agendum fuerit: vel repoſitio membri tentanda foret, vel ſaltem ita conformandum foret, ut caput oſſis ſinui ſuo quam proximum ſit: deinde, contuſi tendines roborandi, ligamenta quoque laxata ſiccanda & modice adſtringenda. Verum repoſitio an fieri poſſit, aut, ſi fieri poteſt, an facilè & ſimul tutò, non parum dubitandum conjicio. Ac primò quidem, cum vetus jam ſit laxatio, adeoque ſinus repletus forſan, cum ab experto Chirurgo bis fruſtra molita fuerit, vix amplius admittenda videtur. Deinde, utcunque fieri poteſt, certè ob incumbentium muſculorum pondus citra magnam vim peragi non poteſt, qua adhibita ut atrox concitatur dolor, ſic fluxui, inflammationi & gravioribus occaſio præbebitur. Tertiò, nec ſecuri ſumus an & in ſinu adeò levi & ſuperficiali ſit hæſurum, è quo ut à prima repoſitione, ita multò facilius nunc, lubricato ſinu & ligamentis magis laxatis, prolabi rurſum poteſt. Itaque prudentia fuerit,

F

rit, in Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Viro nil amplius vi & machinis tentare. Nec tamen propterea deſerendum cenſeo: imò, quantum citra dolorem licet, os conformandum blando flexu, ſubjectis alæ pulvillis, à pila caput extrorſum cogendum, atque in illo recto ſitu & pectori alligandum primùm, deinde alia faſcia ſcapulæ proceſſui & ſpatulæ adducendum horis potiſſimum nocturnis: proderit ex alto aliquid ſublato quantum licet brachio placidè attrahere, mox deligationem inſtituere. Imponendum quod confert & adſtringit ligamenta, Cer. de palma ad part. Cer. de pelle ariet. Villanov. verò cerat. maſtich. idque circa regionem articuli. Tendines intermedii contuſi fomentis in vino ex h. arthrit: Empl. calidioribus. Articuli laxis ligamentis luta D. Petri; tendinibus duris luta D. Helenæ, Bartholomæi &c. proderunt. Proponi debuit aduſtio circa articulum, qualis Turcis uſitata, ex ſenſu Hipp. 6. Aph. 60.

XIII.

De Magati Vulnerum deligatione, ejusque in Ægypto exemplo. Clariſſimo D. Sennerto. 9. Maj.

Ita

ITa eſt, Excellentiſſime & Clariſſime Vir, amas non virtutem ſolum ipſam, ſed etiam illius in me ἀποσκιάσματα & tenues ſtricturas, quas in Te mirari malim quam contra modeſtiæ Tuæ legem ambitiosè deprædicare. Quod Ex. T. quæ de Venis lacteis & pancreatis uſu perſcripſi non improbanda duxerit, gratiſſimum fuit; quanquam dolori ſit, cum, præter alia belli funeſtiſſimi incommoda, illud accedat tædii, quod eximiis ſcriptis tuis propter impedita quaquaverſum itinera carere diutius cogamur; vidi tamen hic apud nobilem juvenem quatuor praxeos Tuæ tomos, in Galliis contractiores quidem, ſed elegantibus ſatis typis expreſſos, è quibus locis eorum copia & nobis ſpero ſuppeditabitur tandem. De Cæſ. Magato illud aſſeverare poſſum, veram eſſe ipſius ſententiam, vulnera ab aëris contactu diligenter præſervando, nativo conſervando præcipuam operam dandam eſſe, adeoque in cautâ deligatione aëri per ſe intemperato exponendo. Ita ultra ducenta vulnera falcatis Turcarum enſibus illata, prius benè deterſa, & vel Arabico balſamo, vel ſaliva, in qua ſalis tantillum diſſolutum, imbuta; glutinantis emplaſtri ſpleniolis, aut ſi opus ſuturis ſemel conjuncta, ſemel

deligata, ante quartum ferè omnia perfectè coaluiſſe: obſervavi idem in aliis plurimis cum ſubſtantiæ carnoſæ perditione conjunctis vulneribus, intra quatuordecim dies bis terve deligata tantum, feliciter perſanata, quorum minora intra ſeptimum bis, ampliora intra 14. ter quaterve cautè deligata, etiam nullis impoſitis medicamentis, ſuperdato multiplicato mundoque linteo, & adhibita convenienti faſcia: ſaltem pus ab orificio vulneris facilè profluere potuerit, & univerſalium præſidiorum ratio ut haberetur pariter; quod in aliis tamen & partis affectæ & vulneris ſitus, ſymptomatumque violentia minimè conceſſit. Biennium eſt, cum adhuc Cairi Venetorum civium Medicus ſubſiſterem, ſenex offerebatur Abiſſinus, Æthiops, è Pælæſtinâ redux. Huic acinace juxta lambdoideam ſuturam latum vulnus inflictum erat, quod utramque meningem pervadens, cerebellum ad duorum digitorum latitudinem ſtringebat, oſſe infra vulnus nonnihil vacillante. Inſtillabam ſupra læſum cerebellum ex recenti Carob ſive ſiliqua expreſſum melleum ſuccum, commodè oblatum, membranas & os carptis filamentis operiens, labra eodem ſucco filamentis excepto texi, impo-

ſito

ſito triplicato molliſſimo linteo, caput multifida faſcia cinxi. De victu nulla adeò ſolicitudo, cum præter pauculum panem & ſacchari decorticatam arundinem, imò, cum lautius haberetur, ultra Muſæ recentis vel Abdelavi fruſtulum, nihil aſſumeret; ſitim aquæ præterfluentis Nili, ſatis a ſole decoctæ, levabant. De quiete monebam & alvi impedimentis ſubducendis, quod infuſa caſſiæ obviæ medulla & tamarindorum procurabatur. Acceſſi ſecundo, tertio, ut ſtatum ægri cognoſcerem, præter καρηβαρίαν & vulneris ab impreſſu dolorem quendam, nil erat de quo conquereretur. Quarto ſoluta faſcia, ſub calefactis linteolis vulnus inſpexi, labia molliter tumeſcentia, ſupra cerebellum nullum putredinis ſignum. Mox igitur, vulſis filamentis, oſſa tantum cooperui, uti & labra, ſed filamentis ſpiſſiore ſiliquæ melle delibutis, his tegumentum addidi, & quo dixi modo vulnus religavi. Septimus jam abierat, meliuſculè habebat, vulneris dolor contactu levior. Nono denuò vulnus detexi, jamque firmius, quod principio vacillabat, os evaſerat, nullum ſupra cerebellum præter albicantis lineæ vitium: in ambitu ex oſſis meditullio veluti panniculus emergebat. Verebar ne

juſto citius luxuriante carne vulnus conſtiparetur; ſed verebar tantum. Circa decimum quintum adeo coaluerat vulnus, ut cerebellum amplius inſpicere non liceret: filamenta ſaltem impoſui (æger ſymptomatum omnium expers) inſperſo labiis externis terræ Lemniæ pulvere. Vigeſimo primo die ſenex convaluit, 70 major, ſed viridis viro ſenecta, pedes enim ad mare Erythræum pergebat. His non diſſimilia in graviſſimo vulnere Patavii deprehendi, quæ negotia ſubjungere non permittunt. In Magato verò quid potiſſimum diſpliceat, alias cum DEo ſignificabo. Incidi in libellum Harvæi de Circuitu ſanguinis, in quo licet, quæ de motu ſanguinis è dextro in ſiniſtrum cordis ventriculum refert, probantur, regreſſus tamen ejusdem in venas ab extremis usque partibus, planè ambiguus videtur. De his quod E. T. judicium ſit, libentiſſimè cognoſcerem. Vale feliciter. Patav. 10. M.

X I V.

De vitæ longitudine.
A Gabrielem Naudæum.

QUam de vitæ longitudine expendiſti controverſiam, polito adeò & limato ingenio

ingenio tuo dignum argumentum non ſine ſingulari voluptate perlegi. In eo tamen judicium tuum requiro quanquàm μακροβιότητα in primis illis mundi incolis non ad abſolutam Dei poteſtatem; ſed naturalibus rebus fundatam eſſe potius. Quis credet ob religionis & artium cultum longævos fuiſſe, cum inventis ſuis intra pauca ſecula perituris, cùm ἀφιλάγαθοι, ἀνήμεροι, ἄσπονδοι juſtâ numinis vindictâ delerentur. Eadem quidem providentia ſingula moderatur; ſed quæ inſitum rebus ad mutationem genium minimè tollit, vel hoc nomine æternitatem ſibi aſſerens, quod præter ſe ipſum nihil æternum eſſe velit. Quid ſi veſtimenti inſtar inveteraſcunt omnia, ut θεόπνευστος καὶ ἀξιόπιστος exclamat vates, abundè patet non repentè, ſed lento quodam paſſu res creatas ad metam ſuam fatalem illam viam inſiſtere. In cœleſti Zodiaci ſtadio quanta facta eſt ab Hipparchi ævo mutatio! cum illa falsò fixa ſidera ſigno propemodum integro ſtationes ſuas deſeruerint: cum ſtella, quæ duodecim olim, hodie vix tribus ab Æquatoris polo gradibus ſecedat. Attamen nondum annorum duo millia volverunt, à quibus hæc obſervata referunt ἀστροφιλοῦντες. Quæ facies itaque cœli fuit

natali illo mundi ſeculo, quamque inſignis à præſenti diverſitas? ut facile colligas, ab eodem quidem ſole nos luſtrari; non eodem tamen modo colluſtrari. Taceo ἐκκεντρότητας τῶν πλανητῶν, propter quas influxus ipſorum maximè variare dubium nullum eſt. Nec ſine horrore lego, tot ſiderum, vel corporum certè intra ſidera conſiſtentium, ortus & abortus, ut privari totum poſſe cenſeas quicquid mutatur carpiturque per partes. Elementa nos eadem componunt: ſed non in eodem fœdere coëuntia, cum nexus illos ἀρίστως cœleſtis ἀπόῤῥοιαι maximè tum firment tum conſervent. Vero præterea ſimillimum eſt, primos orbis incolas perfectioris ſeminis progeniem fuiſſe, quippe quod nondum per tot traduces morborum atrocitas vitiare potuit, quorum in infelicem ſobolem nimis clara ſæpius indicia expetunt. Inde obfuit, quod herbis & leguminibus victus neceſſitatem explebant: conſuetus hæc illis & ſimplex cibus erit, quod & hoc ipſo melioribus variiſque nondum uſu domitis ἧσσον ἐνοχλεῖν εἴωθε (lib. 2. aph. 50.) imò cujus noxas vegetæ corporis vires corrigere ſuſtinuerunt, quas Celſo judice nec deſidia tentabat nec vitiabat luxuria.

XV. *Cl.*

X V.

Cl. Fabricio Hildano Bernam. 3. Maji Anno 1634.

Galenum de tendinum vulnere parum ſibi conſtare.

QUid factum ſit proximis ad Te literis meis, non facile rudis hariolus divinaberis, quod gratiſſima Tuarum viciſſitudine diutius carere cogor. Teſtor animi mentem, feciſſe me & voluiſſe omnia quæ tum affectus meus, quo Te medullitus amo, tum vota quoque Tua ſuggerebant. Age porro Vir Cl. certemus in hoc mutui amoris laudabili ſtadio, in quod benevolentia Tua vel immerentem provocaſti. Conſtabit ſeriò de me, ut in aliis lubens meritoque Tibi cedo; ſic in hoc certamine ambiguam forſan palmam non victoriam relicturus. Scripta tua πολυτελέστατα quantopere deſiderem, non facile dixerim. Enitere, mi Dn Fabrici, cum felici Lucinâ tam eximium opus, &, ſi per Germaniam noſtram turbæ obſtetricem operam morantur, Lugdunum conſule Galliarum, ubi mira alacritate Clariſſimi Sennerti opera impreſſa video. Effice quæſo, ut ſoſpes adhuc nobisque ſuperſtes illud Lyrici tibi vindicare poſſis: *Exegi monu-*

monumentum ære perennius, Regalique ſitu &c. Quod non imber edax non aquilo impotens poſſit diruere. Ita te juvet cœleſtis favor. Galenum de tendinum vulnere parum ſibi conſtare video. Nam l. 3 de comp. med. ſecundum communia, tendinum vulnera æquè periculoſa pronuntiat, nec conſuenda eſſe. Nihilominus & 6. Methodi, ubi vulnerum abdominis conjunctionem docet, tendines muſculorum conſuit neceſſario: & jam femoris vulnus altis ſuturis adducendum ſuadet, quod herculè citra membranoſi tendinis femur ambientis, perforationem fieri non poteſt. Quomodo idem hic periculum, ſi non idem ſenſus? ſi ligamentoſa jam inſenſilis in tendine portio, nervoſam partem ſæpe ſextuplâ, ſæpiusque decupla craſſitie ſuperat? ut fatetur de motu muſculorum l. 1. Craſſeſcunt cum ætate tendines, adeoque de ſenſus vigore paulatim remittunt, præſertim ubi oſſibus, in quæ inſeruntur, propiores ſunt. Secui Venetiis octuagenarium ſenem, cujus tendines omnes, qui in tarſum pedis & crura feruntur, propemodum oſſei deprehendebantur; ſiniſter item ventriculus cordis & ex eo prodiens arteria magna cartilaginea cruſta ſuccincta intus. Vidi in parentis mei amanuenſe

nuenſe Othone Loſero tendinem â gaſtrocnemiis & ſolco muſculis conflatum, paulo ſupra calcis os diſſectum, ſuturis aliquot â Chirurgis conjunctum; In Arabe item, cui acinace tendo à tibiæ extenſoribus conſtitutus transverſim ſub patellâ genu vulneratus, ſimilem in modum à Tunetario Chirurgo adducebatur. Deteſtabar hominum audaciam: ſed felix ſucceſſus & vix notabile à peractâ curatione detrimentum, timoris mei vanitatem arguebant. Exiſtimo quosdam neceſſariò tendines conſuendos, ut in abdominis & femoris vulnere fit præſcribente Gal. 6. med. & de comp. ſecundum comm. l. 3. quosdam non niſi certa cautione adhibita: Etenim ſi nervi ſimul cum tendine ſic-ctuntur, ut ferè contingit cum manus pedisque vulnus incidit, ſi molliores & ad confinia muſculoſi ventris ſauciati, nondum adultâ ætate, quod fuſius alibi propoſui. Tuæ fuerit humanitatis, ſententiam Tuam candidè mihi impartiri & amorem, quo nihil antiquius habeo, abſenti conſervare.

XVI.

Ad conſultationem de Cancro pro Nobiliſſima Matrona.

Expen-

EXpendi quæ à Clariſſimis & Excellentiſſimis Viris collegis meis, circa affectum Nobiliſſimæ Dominæ ſingulari conſenſu nec impari judicio determinata: Qui qualecunque meum examinatis accuratè ſignis meritò ſubjungere debui: minimè dubius, vel cancrum vel certè cancroſum tumorem affectum hunc pronunciandum eſſe: cujus ſubjectum & cauſam, tum antecedentem tum connexam, in ſcripto ſatis explicatam, non repeto brevitatis ſtudio, quæ in fæculenti & atri humoris pernitioſâ malignaque corruptione conſiſtit. Hujus verò certa & genuina antidotus cum hactenus cognita non ſit, adaucto jam malo nullam in medicamentis perfectæ curationis ſpem ſupereſſe liquidè nimis pateſcit. An ad Chirurgiæ præſidium & extirpationem tumoris, quæ ferro perficitur, alterum ſcilicet morbi aſylum, confugiendum ſit, maximâ indiget conſideratione. Quamvis enim amplior tumor, & imminens vel præſens exulceratio (ut in extremis neceſſitas imperat) eradicationem permittere potius quam diſſuadere poſſint: exploratius tamen conſilium fuerit, ſi tumor non ſuperficialis, ſed altioribus fixus radicibus, non mobilis, ſed latâ veluti baſi muſculis intercoſtalibus inſtratus, manum abſtinere

abſtinere potius quàm πολυκέφαλος ὕδρος, & ſub Hercule quoque facile repullulantem, vel noxio vel irrito ferro laceſſere. In qua calamitate cum aliud in artis medicæ poteſtate non ſit, in id potiſſimum incumbendum fuerit, ut graviores noxæ retardentur & noxii humoris proventus ſubducatur, uteri, jecoris ſqualor temperetur, putrefactio humoris inhibeatur, & caloris atrocitas mitigetur. Placent à Clariſſimis Viris propoſita omnis generis evacuantia præſidia; quamvis in malo jam provecto, & ſub quo vires aliquot annorum decurſu procul dubio attritæ ſunt & porro proſternentur, in benigniori (circa vernum & autumnale æquinoctium) melanagogi uſu ſubſiſtere conſultius exiſtimem. Ad jecoris & uteri ſqualorem temperandum, omnis generis temperatè aperientia leniterque tum refrigerantia tum humectantia conducent, peritis Medicis notiſſima. Ad cancroſos tumores imminuendos coërcendosque ſingulari dote plurimum pollent, è vulgatis aliquot plantis: Virga aurea major anguſtifolia, Geranium Robertianum & Polytrichum, ſi, peractâ corporis univerſali purgatione, diu matutinis horis in juſculo factum aſſumatur decoctum, in quo carnes

nes cancrorum, vel ranarum bullierunt. Aquæ item ex iisdem repetitis (ut dicitur) cohobationibus elicitæ, cum ſyrup. de acetoſ. ſubinde hauſtæ, ſimile præſtant: inſigniter etiam opitulatur hyacinthiana confectio ad drach. dimid. conſerv. flor. Nymphææ vel borrag. remixta additis granis 6. vel 7. magiſterii oculorum cancri vel coralliorum fideliter præparati; quibus ſuperbibendæ aquæ Scorzoneræ Unc. 3. vel 4. Externa topica inter, quæ tumorem coërcent, aptiſſimum quoque eſt oleum Antimonii dulce, impoſitâ plumbi lamina ductili & ſubtili, hydrargyro prius illita. Ubi exulcerationis adſunt veſtigia, illico inſpergantur pulv. tenuiſs. plumbi uſti, lotæ ceruſſæ, cum croco Martis fideliter elaborato. Doloris atrocitas appoſito leni cataplasmate ex pomis acidulis in aqua roſ: coctis, add. ol. ex nymph. de vitellis ovorum & camphora, feliciter ſedabitur. Victus ratio, vitatis craſſis, acribus ſalſisque cibis, humectans & reſtaurans exigitur; Animus erectus & in Deum fiducia tranquillus ſit. Ut Cereviſia leniter aperientibus alterata, pro potu utilis: Ita vini albi tenuis ac potiſs. aq. acetoſ. endiv. &c. deſtillatis dilutis, moderatus uſus virium labeſcentium tanquam fulcimentum Nobiliſs. Dominæ omni-

omninò conceditur. Quæ pro confirmatione eorum, quæ à Clariſs. Viris determinata ſunt.

XVII.

Ad Excellentiſs. Joh. Caſp. Bauhinum Anno 1636. Patav. 16. Januarii. Lactei meſenterii ductus ex qua parte diffundantur?

IMò Hercule juvaſti largiter, quod implexum occupationum mearum agmen gratiſſimis literis tuis interrumpere voluiſti. Reſpiraſſe mihi videbar ex ſexcentis publicis privatisque laſſatis curis, cum ſuave illud pectoris tui ornamentum, & illimis affectus non leves ſtricturas, toto animo & hiantibus oculis uſurparem, quibus paria facere tam volupe mihi fuerit quàm quod maximè. Quæris lacteos meſenterii ductus, ex quo natura diffundat, quibusve locis inſerat. Rem etiam in clara luce ſatis obſcuram. Dicam paucis quod ſentio. Homericum tamen illud meritò præfatus: εἰ δύναμαι τελέσαι γε καὶ εἰ τετελεσμένον ἐστί.

Arbitratus primo intuitu fui è jecoris concavâ circa portam, ubi propius pancreas adja-

adjacet, porrigi ramum duplicem, tanquam genuinum à radicibus truncum ad pancreas, ex illo verò facto prius plexu (ut ſolent exeuntes ad artus nervi) numeroſa deinceps ſobole ad inteſtina diſpergi. Jam cum ſæpius oculorum cenſuræ rem ſubjecerim, facile adducor ut exiſtimem, pancreas veluti centrum eſſe, ex quo Natura opifex partim ad inteſtina partim ad jecur chyli ductus loco quem innui producit, quod pluribus probarem, ſi vel apud Te opus eſſet vel permitterent obſtrepentes occupationes: A pancreate ad jecur modo geminum extendi ramum videor videre, modo ſimplicem, plures interdum, interdum nullum, quum prolixius ut nuperè obſervabam pancreas, ipſi jecori latè connectere, quemadmodum & lieni cohærebat. An è pancreate in ſplenicam illam tum venam tum arteriam ſuccus lacteus ſe inſinuet, facile mihi perſuaſerit, quicunque ſuaſerit. Tu, qui potes mihi Bauhine, opitulare &, ſi quid rectius noſti, candidus imperti.

XVIII.

Clariſs. Dn. Harvejo. De Cordis ortu, conformatione, &c. De Pulmonum officio.

Gravi-

GRaviter diſceſſum tuum, & impatiente animo tuli, quippe repentinum & mihi penitus inopinatum, cui ſpem dulciſſimæ converſationis omnem quaſi turbinis impetu expectorabat. Recollegi me tamen, & ſortis iniquitatem ſtylo vindicare conſtitui, minimè ignarus, conceptum in amoris literarum primordio germen, earundem frequentiore commeatu ſumto incremento, ad vigorem ſuum frugemque perventurum. Legi quæ contra Te Primeroſius edidit, ſed imbellia pleraque & ſine ictu: imò quantillum abeſt, ut poſtico admittat, quod janua exludere connititur univerſum. Pariſianus ptotervè magis, attamen in quamplurimis turpius. Nimirum petulcus ſenex cum propriis, quas ſibi concinnavit, larvis luctatur, & portentoſis paralogismis laborat, à quibus cum expedire hominem pertinacem ne Hercules quidem poſſit, eum quoque in ceritum tabulis relinquendum cenſeo.

De Cordis ortu, conformatione, actione, & pulmonum officio quæ ſcribis omninò vera profiteor, & αὐτοψία, quam quinquennio illo, quo in Ægypto degi, cerebra artificioſæ pullitiei inſpectione confirmavi, conſentanea. Nec abſurdus videtur ſanguinis per

venas ad cor recurſus: quamvis fatear, inſpecto oviparārum fœtu, rationem mihi nondum conſtare. Video arterias umbilicales ferè ad albumen eique proximum chorion deduci: venas ad luteum ipſi propriam tuniculam diffundi: In illis, ampliore jam embryone, ſanguis miniato colore floridior: in his obſcuriore purpura umbroſus. Illæ moventur ſyſtole ſatis evidenti, nihil tamen in candidum illum ac pellucidum liquorem expellunt: hæ, ut ſolent, quieſcunt. Illæ abſumto albumine fatiſcunt & eluctante fœtu abrumpuntur: hæ cum annexo luteo prius in abdomen revocantur. Ut facile conſtet, nullam hinc ſanguinis παλινδρομὴν contingere, quod diverſus vaſorum terminus ſit, officium arteriarum diſpar. Sed has quæ me involvunt nubeculas, qua polles ingenii claritate benignè diſcutias. Vale feliciſſimè. Anno 1637. 20. Decemb.

XIX.

Eidem. Dubia contra Circulationem ſanguinis ex fœtu.

GRatum &c. De arteria non paucæ nubeculæ me involvunt, arterias eas cenſendas

Digitized by Google

cenſendas eſſe arbitratus ſum, quia eas evidenter pulſare conſpicio, quia ſanguinem continent intentius rubentem, magisque ſubtilem: arterias non eſſe cenſendas ideò ſuſpicari ſubiit; quia tunicam habent tenuem & è quibus ſanguis transparet, ſecus quam in arteriis fœtus aliis ſupra cor, quod clarè conſtat in arteriæ trunco aſcendente, ramisque ejus ſubclaviis, quæ manifeſtè albicant & duriores ſunt; imò quia circa cor non pulſant & in venam cavam inſeruntur. Sed hæc forſan levia, quia nihil ſanguinis in chorium vel albumen expellunt, propterea quis dixerit & arterias quoque ad cerebrum abeuntes ſimplicem poſſidere tunicam, uſu tamen ipſorum permanente, dicendum quod veterum omnium conſenſu ab arteriis partes blandè ſaltem aliquid attrahant, non quod arteriæ confertim aliquid expellant: tertiò in tenero fœtu arteriæ umb. in venam cavam inſertionem ſaltem apparentem eſſe, non veram; idque ſic quidem videri ob vaſorum nexum & eorum exiguitatem. Denique aperto jam corpore fœtus & apertis ſeparato chorio tot arteriarum oſculis profuſoque ſanguine, eas circa cor non amplius evidenter pulſare, ut veluti nec ſubclavii & carotides art: rami, quamvis corculum à motu ſuo

nondum ceſſet. Ego candidè fateor, rationem è motu art: extra fœtum, magni apud me momenti eſſe. Inſeri autem eas circa cor, mihi certiſſimum eſt; ambiguum tamen hactenus oculorum ſenſum experior, quoties inſertionem exquiſitius rimor; nec difficulter aſſentior, ſi quis eam in arteriam venoſam terminari dicat. (rimatus autem ſum in ovipararum tantum pullis adhuc viventibus). Tuæ fuerit humanitatis, clariorem nobis facem prælucere, ut in reliquo tua facilior nobis via ſit.

X X.

Ad Clariſs. Caſparum Hofmannum.
Q. An Venæ lacteæ Aſellii, ſint à ramis Venæ portæ antiquitus cognitis?

IN deliciis, ne dicam lautitiis, mihi ſunt literæ tuæ, mi Hofmanne, quibus tam libenter manus oculosque admoveo, quam eſurit aliquis deſiderato cibo. Quamvis mihi tribuere non auſim, è rivulis meis, in illud Tuum bonarum omnium artium flumine inundatum pectus quicquam refundi poſſe. Quæris iterum, an Venæ lacteæ Aſellii ſint à ramis venæ por-

Digitized by Google

portæ antiquitus cognitis? an verum ſit, in ſiñuum cerebralium conſtitutionem arterias non concurrere? Facio vir Clar. quod jubes, imò quod & publicum legendi munus & praxeos pariter curæ mihi extorquent: reſpondeo verbis quantum pote in compendium redactis; & ad alterum, nullas me hactenus arterias conſpexiſſe, quæ in ſinus duræ meningis deſinant, atque utrum hæc porro ſe habeant, in anatome, proximis Jan. Kal. inſtituenda, ſeriò inquiram & ſedulò. Ad prius, in quo plures Tibi tenebræ, ſic habeas: incertum mihi eſſe quid primi illi, qui ante Dioclis Cariſtii ævum privatis diſſectionibus in corporis humani partes inquirebant, hic viderint, cum nihil eorum quæ cognorant ſcriptis divulgarint. Vixere fortes ante Agememnona multi, ait Lyricus, & procul dubio ante Herophilum eximii, & in hoc diſſectionum ſtudio exercitatiſſimi, quos ob monumentorum defectum longa nocte oblivio premit. Si de Galeno ſermo ſit, qui ſe commentariis ſuis accuratè complecti fatetur quæ de Anatomicis majores prodiderant: confidenter affirmo, chyliferos illos ductus, quos Venas lacteas appellat Aſellius, origine, conformatione & officio diverſos eſſe à ramis venæ

G 3 por-

FACULTAD DE MEDICINA

portæ ab illo medendi Præceptore deſcriptis. Etenim, ut fido ſenſu jam toties mihi perſpectum, è Pancreate tanquam communi fonte ducunt originem, ut ex eo numeroſiſſimi per meſenterium ad inteſtina diffunduntur, atque ad jecur lienemque vicinum porriguntur; Exiles admodum ſunt, tunicam obtinent pertenuem ac pellucidam, adeoque ſub meſenterii membrana ſubtilium nervulorum ſpecie oblitescunt, niſi chyli diſtributio fiat: tunc enim à recepto ſucco turgidulæ lacteum qui in eâ colorem repræſentando, evidentius oculis ſeſe manifeſtant: nec magis id mirum, quàm quod pellucidum vitrum lactè plenum, dum liquorem continet, ejus candorem transmittat.

X X I.

Eidem. De loco Galeni de Venis lactis.

EXpedivi me, qui favor Numinis, ab hoc ſexto publicarum diſſectionum labore feliciter, nec ſine ſpectantium Studioſorum emolumento, quum inter alia & gravidæ, & virginis, & è gemellorum partu extinctæ mulieris corpus aperirem. Revocavi iterum ad

ad amuſſim, quæ cum de venis lacteis tum de arteriis ad meningem duram euntibus nuperè ſcripſi: necdum reperi quo vel patricinari Veſalio queam de arteriis, vel Galeno de portæ ramis. Commodè accidit, ut, cum de his agerem, afferret mihi varias lectiones tuas Rhodius noſter D. Thomaſino transmiſſas, & in iis notatum à te Gal. 4. uſ. part. 19. locum *ulceroſum & ſola Chirurgia curandum.* Exiſtimo, aut nihil cum Herophilo Galenum vidiſſe, aut has ἰδίας μεσεντερίου φλέβας, hos ipſos ductus eſſe, quos lacteos cum Aſellio nominamus: quæ ad pancreatis ἀδενώδη σώματι (ex multarum enim glandularum compage conſtructum videtur) pertinent: quamvis falſum ſit, ad jecur eos non pertingere, & inteſtinorum nutritioni comparatos eſſe. Cenſendum idem de arteriis in hædorum qui nuper lactarunt meſenterio, quas manifeſtè lacte refertas videri ſcripſit Galenus & candidum hunc liquorem non alibi naturaliter quam in ductibus Aſellianis contineri, nec alio tempore quam dum chylus diſtribuitur. Commiſi Seæmanno noſtro exemplar obſervat: mearum ad P. Alp. &c.

XXII.

Ad Clariſs. Adolphum Vorſtium. De Sacchari qualitate & natura.

Accepi &c. De Saccharo vereor ut referre quicquam poſſim, quod πολυίςορι Tibi cognitum abunde perſpectumque non ſit; quid tamen quinquennio inter Ægyptios & Arabes exacto ejus obſervarim, paucis adſcribam. Parant id ex arundine Saccharina, quam vulgo Cannam Sacchari vocant, jam Europæis provinciis, quas mare Mediterraneum alluit, cognitâ & in adverſariis ſtirpium â Lobelio aliisque ſatis accuratè cum deſcriptâ tum depictâ. Adoleſcit ea Ægypti Niloticas prope ripas fœcunda ſobole, coliturque per hæc tempora longè diligentius, quum, defectu pretioſiorum mercium quæ per Erythræum, Perſicumque ſinum Alexandriam convehi ſolebant, ex hujus abundantia præcipuè lucri ſpes affulgeat. Incremento humanæ ſtaturæ modum facile excedit, pollicem geminum craſſitie communiter adæquat, imò ſuperat, & tanto vaſtius facit corpus, quantò diutius terræ maternis uberibus inhæreſcit, tum quoque ſive ætatis vitio, ſive nutrimenti copiâ rimulis fatiſcit, ſucci parum eliquat, isque circa

foliorum

foliorum exortus, aut corticem denſatus, qua gemmeo candore, qua delenifica ſaporis gratia ſenſum utrumque ſuaviter demulcet. Circa finem menſis Decembris Arundines colligunt. è quibus quas vegetiores obſervant in partes ſcindunt binis internodiis diſtinctas, easque juſtis intervallis transverſim in terra denuo poſitas, largiter indies affuſis aquis nutriunt, donec è nodis promiſſa quina, ſenave germina ſeſe manifeſtent. Collectas in uſum Sacchari arundines in portiones aliquot ſecant, earumque ſenas ſeptenasve junctim ligneæ rotæ ſubjiciunt, quam per vices robuſti circumagunt tauri; ſuccum harum attritu expreſſum ſubjectus rotæ lapideus alveus excipit, quem refuſum in caldarium igne ſuccenſo eatenus denſant, donec in ſuperficie ſubtilioris pelliculæ ſpecimen conſpiciatur. Tunc verò inditum fictilibus reponitur, quorum ſingula fundum habent pertuſum, ut ineptum concretioni melleum ſedimentum tempeſtivè ſubduci queat. Si melioris notæ ſaccharum exhibet ſuccus, circa Julium menſem coagulationis terminum aſſequitur, qui ſequioris conditionis, ne menſe quidem Septembri. Promoveri tamen hoc opus ſibi perſuadent operarii, ſi concreſcenti ſucco paleas & ter-

ram inſternant. Hoc primæ concretionis ſaccharum pulveris craſſiuſculi granorum in ſpecie collectum, ut candidius fiat aut natalibus in locis caldario reddunt, aut Venetias delatum impenſiore cura depurant. At arundinum pulpa remoto cortice vulgus pauperculum cum pane veſcitur: ex eadem contuſa prius in marmore ſuccum elidunt, quem aqua modica dilutum, aut ſimplicem hauriunt: Is corpus univerſum ſuaviter humectat, ἐυκόιλιος ἐυςομαχόντε: renum ardori ſitique demulcendæ aptiſſimum, ut ipſus, cum in Ægypto degerem, commodo meo ſæpius expertus ſum. Saccharum, quod in arundine concreſcit, rarò paucumque reperitur; quia vix ſinunt plantam ad vetuſtatem usque conſeneſcere vendaces omnium rerum incolæ: viribus tamen ſimplici ſucco quam proximum exiſtit: huic etiam omninò par eſt, quod primam concretionem arti debet; ſed hactenus ut optimè ante depuretur, quam à calore ſpiſſitudinem acquirat. Hoc apud ditiores vidi, colore ſatis candidum, poroſum & ad primum aquæ contactum nivis inſtar liquabile, quo ſine miſturâ medicati ſucci in poculentis utuntur. At repetitis fuſionibus dealbatum ſaccharum non retinet priſtinam qualitatum

blan-

Digitized by Google

blanditiam, nam & ab igne patitur, & communicatum ipſi lixivio vere ſolis evaporatione quantumvis diligenti non plenius ferendo dimittit. Ex eo tamen Sorbet, ſive ſorbitionum omne genus refrigerantibus ſuccis intemperatis concinnare conſueverunt. Collyria item parant quum corneam oculi tunicam ab ophthalmia vel ulceribus relictæ ſordes & ſpiſſamenta obfuſcant, eaque τὰ τὰς κόρας ἐπισκοτοῦντα apud Dioſcoridem habenda ſunt, cauſas cujus internas medicamentum hoc non tollit. Obſervavi tamen priusquam uterentur hoc Saccharo, incluſum paſtæ farinaceæ triticeæ, in furno denuò liquaſſe, ſicque oculis magis commodum reddidiſſe Saccharum, de quo Aboali, cum ex plantæ ipſius ſucco originem haud trahat, ſed roſcidæ mellis inſtar colligitur, huc propriè non ſpectat. Igitur ut concludam, cauſam tecum nullam habeo, quo minus exiſtimem ſaccharum, ſive artis, ſive naturæ beneficio concreverit, ſit ὁμογενὴς, cum nec magnitudinis in arundine varietas ſpeciem mutet, nec in concoctu qualitatum diſcrepantia ſuboriatur, ſaltem expreſſus ſuccus denſetur. Cannas ſaccharinas in horti medici uſum è Sicilia indies præſtolamur, curante eas Clariſſimo

Viro

Digitized by Google

Viro Mario Schipano, regni Neapolitani Archiatro. Figuram interim optimam quoque judico Lobelianam, cui vix adjici poſſe video. Mitto iterum obſervationes meas in Ægyptiacas Alpini plantas, libellum ſatis impolitum, & inter otij oblectamenta intempeſtivè mihi ſubductum, quem rogo qua polles benignitate acceptum habeas. Vale feliciter.

XXIII.

Conſilium de Hepatis obſtructione.

COnqueritur Præſtantiſſimus D. de hypochondrii dextri gravitate, & aliqua tenſione, oculorumque flavedine, de quibus ſententiam meam ita brevibus proponam. Jecoris hunc affectum eſſe, ex affecti loci naturali poſitione facile innoteſcit. Cum verò obſtructionem pronuncio à bilioſo humore per ſubſtantiam viſceris diffuſo, & ab ejus calidiore & ſiccâ intemperie ſenſim addenſato, hinc gravitas parenchymatis & ligamenti ſeptalis tenſio, tum ab effumantis mineræ vapore oculorum flavedo, quorum tunicas natura candido ſaltem nitore ſplendeſcere voluit.

Digitized by Google

voluit. Quamvis autem jam ante non jecoris tantum corpus; ſed etiam ejus meatus ad cyſtem felleam abeuntes ſimilis materia (ut & icterus ſubortus univerſalis) occupaverit: ſtatu tamen præſenti, poros veſiculæ ab infarctu non impeditos eſſe, bilis ad inteſtina reneſque diſtributio ſatis convincit. Cauſas affectus antecedentes arbitror fuiſſe febres graves, contracto jecoris fervore maximo, tum aquæ ardentis narcotica mandragoræ radice alteratæ noxius potus, neceſſariæ purgationis per cholagoga neglectus, & convenientis diætæ ratio non obſervata. Curationis univerſæ cardo, in aperientium, blandè bilem ſubducentium, & jecur corroborantium longo & conſtanti uſu conſiſtit. Sub æquinoctium vernum, præmiſſo Syr. violato ſolutivo aut ex flor. Perſicæ, ſanguis aperta vena ſubducatur. Mox per octiduum utatur aquis deſtillatis ex agrim. acetoſ. fumar. lupul. borrag. ſupra ſal ſuum aliquoties refuſis & iterum deſtillatis. Corpus ſubinde purget Pulpa Caſſ. vel paſſularum cum cremore Tartari, Rhabarbaro, ſed aquis refrig. infuſo. Apertionis obſtructionum cauſa utatur aquis è centatur. min. enula, gentiana, chamædryo, à capite mortuo repetitis cohobationibus abſtractis,

Digitized by Google

ſtractis, add. Syr. de ſucc. arant. limon. Corroborationis gratia ſummè proſunt Extracta vel condenſati ſucci agrimon. endiv. cichor. ſonchi, taraxaci, add. part. ſalis abſinth. Victus ratio magni momenti. Abſtineat ab eſu carnium craſſarum v. g. anſerum, anatum, leporum, bubularum: Aromatum omnium, Sacch. & potiſſimum melle conditorum. In Acetariis fruatur endiv. cichor. fl. acetos. borrag. lact. quantum ſtomachus patitur, turionibus aſparagorum, lupuli, &c. Vitet ſummè generoſa vina & mulſum. Bibat vinum tenue, vetuſtum, acidulum: ſi quod meracius offeratur, utiliter aquis chalybeatis contemperabitur. Atque horum conſtanti & læta uſurpatione ſanitas vacillans proſperè firmetur, faxit ille Panaceæ æternus parens DEus.

XXIV.

De Coſto, Calamo, Opobalſamo, Acacia, Terra Lemnia. Ad. Excell. Joan. Heniſium, Medicum Auguſtanum.

ATque ut ad quæſita, quantum per confertum occupationum agmen licet, pauca

pauca ſubjungam: Coſtum, quamvis ex Moluccis inſulis facie, viribus diverſum advehant Hiſpani, hiſce locis præcipuè commendamus, quem Syria ſuppeditat, colore nunc plus nunc minus buxeum, odore cypreſſinum, ſed ſuaviore γεύσει δηκτικὸς πλείονος δίολος, ſubamaro & acri ſapore, quibus notis cum optimum illum Dioſcoridis proximè conſequatur, non immeritò præferendum aliis judicarunt Veneti noſtri. De Amomo, jam excuſſit difficultatum ſcrupulos omnes Nicolaus Marogna Veronenſis, cujus tractatum operæ eſt, conſulere ipſum. Calamum Aromaticum Indorum legitimum exiſtimo, quem Garzias in Balaguat & Goa naſci dudum ſcriptis prodidit. Hic multis jam annis Cayrum Venetiasque venum haud defertur: nam & in Ægypto propter rebelles in Jemin Arabes, Turcarumque fatalem ſocordiam, Indicæ merces deficiunt, & hic officinæ pro Calamo Indico Acorum admiſerunt; diverſum quidem ab illo, viribus tamen ſuperiorem, Qua Ægyptij hodie utantur Caſſabel darir Calami aromatici nomine planta, ſi non effigie, ſaltem facultate veterum calamo proximâ, Proſperi Alpini exoticis palam factum eſt. De Cinnamomo & Folio, nec habeo poſt Garziam quod ſcri-

ſcribam, quorum illud in Zeilana, hoc in Cambaja lectum, odoris, ſaporisque gratiâ commendatitium, in uſum noſtrum vindicamus. Carpobalſamum non ê fructu balſami paratum ſuccum; ſed Arabum conſtanti ſermone fructum integrum, aut ſemen balſami aſſevero; quæ juxta cum ramis quotannis è Mecca & Medina redeuntes, notis omnibus veterum ſententiæ reſpondentia mihi mercatores exhibebant: Opobalſamum veterum aliud ſanè non eſt, quam quod circa Meccam & Medinæ urbes Arabiæ colligitur. Hujus autem aliud præſtantius in Mephin defertur, eſtque ſponte proſiliens lacryma, quam Proceres tantum cum Imperatore ſibi deligunt: Nam ut Theophraſtus quoque confitetur ὃ ἐςι πολὺ τὸ ῥέον. Aliud ignobilius, idque rnrſum vel ſimplex, quod artificioſa molitione ramis & fructibus elidunt, vel impurius & admiſtis heterogeneis vitiatum. Illud frequenter Veneti comparant, eſtque bonitate meliori Balſamo proximum (ut quinquennio dicta in urbe olim degenti mihi ſatis cognitum eſt.) adeoque ſi nondum ætate obſoletum, colore pallidum, citrinum, aureum, quantumvis turbidum, odore terebintho ſuavius, facile ſolubile, clementerque linguam mordicans, non video cur in The-

in Theriacæ potius compoſitionem recipi non debeat, quàm muſcatæ nucis aut caryophyllorum oleum. Lac ſanè non coagulabit, niſi recens admodum fuerit & ſpiritu acidulo etiamnum prægnans. Hujus tamen inopia quid vetat, quo minus alio ex Indiis balſamico ſucco Theriacam imbuamus? ſaltem ad Arabici illius habitudinem & vires quam proximè accedat. Acaciam ex Ægyptiæ Spinæ ſiliquis expreſſum denſatumque ſuccum, me ſæpius inſpectore diligentiſſime jam à multis annis paravit atque in Europam transmiſit Cosmus Nigronius Pharmacopœus integerrimus, cujus Venetiis obvia ſatis copia eſt. Terra Lemnia an hoc in natali ſolo reperiatur, ſcio à doctis viris in dubium vocari. Mihi non defectus naturæ, ſed pharmacopolarum incuria accuſanda videtur. Vidi apud Turcarum magnates ex hac terra vaſcula eximia, quorum particulæ cuncta obtinebant, quæ in Sphragide Lemnia requirit Galenus. Huic tamen rectè ſubſtituemus Bolum Armenum; nam & ipſus rubrica eſt, & Lemniæ virtute non impar, quamvis ipſi digitos inficiendi promtitudinem indiligentior lotura reliquerit. Vale feliciter & adjunctam his corpuſculi mei umbram, ab ignobiliore quidem manu non

mente, ſplendore Tuo non nimis extenues. Scribo præfeſtinè Patavii Prid. Calend. Novemb. Anno 1639.

X X V.

De femoris ſubluxatione. Ad Clariſs. Gaſp. Hoffmannum 6. Septemb. 1641.

DE ſubluxatione femoris dubitare te video ob firmitudinem teretis ligamenti, quodque fragantur potius, vel cervix femoris, vel appendix acetabulo infixa, quam caput prolabatur ipſum. Mihi & frangi id ſæpe juxta articulum certum, &, ſi vis accedat, in omnes quatuor partes promoveri, frequentius autem ad interiora. Quorum illud ob ligamenti robur & fragilitatem oſſium facilius obtinet, quibusdam naturis inſignem. Memini ſororem meam beatæ memoriæ ſcamno deſilientem, femur fregiſſe tranſverſum, & quidem ſupra genu: contigiſſe idem amitæ meæ Sabææ, ex lapſu in lubrico. Alterum ob ligamenti debilitatem, mollitiemque, ſive nativa ea fuerit, ſive decurſu ætatis acquiſita. Subluxationem autem quidni admittas in parte,

te, quam & variè & acriter poſſunt afficere externæ noxæ, & ad patiendum diſponere tum interna vitia, tum externa. Fatetur ſanè præceptor l. his dicato, circum articulos ὅτε μὲν μεῖον ὅτε δὲ μεῖζον τὸ ὀλίσθημα γίνεσθαι. Atque illum ipſum humeri femoriſque articulum, ὅτε μὲν πλεῖω ἀποπηδᾷν ἀπὸ τῆς φύσεως, ὅτε δὲ ἔλασσον. Obſervavi in nobili juvene Dalmato dorſi aliquot vertebras leviter extrorſum dimotas, reliquis in ſede permanentibus, id per febrem validam ſiccatis procul dubio ligamentis. In Franciſco item Bonaldo cive Patavino, cujus curam habui, quinque lumborum vertebræ tantum extrorſum notabiliter inclinabant, cum ſtupore partium infernarum, per affectum cauſamque ſimilem. Sed ad rem noſtram. Negat Hippocrates in humero & femore, τὸ ἥμισυ ἐκστῆναι τοῦ ἄρθρου, quin ob peripheriam extrorſum introrſumque luxetur. At hæc nil obſtant mihi, quo minus exiſtimem à laxatis enormiter ſpinæ ligamentis, cavitatis aut ligamenti vitio articuli tertia quartave parte propendente, oſſa hæc ſubluxari. Laborat humeri ſubluxatione Vir Illuſtriſs. Dominus Piſanus, habitu corporis pituitoſo, ante annos aliquot

Patavinæ urbis præfectus, cui ſublato humero, caput art. impingitur ſinui, demiſſo eodem extrorſum ſtatim inclinat. Incidit in vitium, quod brachium ſub imperito Chirurgo magna vi deorſum traheretur, humeri capite deorſum prolapſo. Marcum Maurocenum Patritium Venetum Nobiliſs. cum Excellentiſs. Sala noſtro ſæpius viſitavi, cui, ſuborto intra coxendicis acetabulum tumore, caput femoris evidenter extrorſum vergit. Rhodio noſtro adfui ipſus, quo die Venetiis damnum perpeſſus fuit. Deprehendi gracile, muſculisque laxis, attenuatum femur: vix magnitudinem mutaſſe, figuramque naturalem: inſiſtere pedi non poſſe: hunc in gyrum facile duci, difficulter & cum dolore ſurſum & ad latera. Cum femur ſuſtollerem, ſonitum percipiebamus articuli ad ſinum ſuum allidentis. Juſſi Chirurgum habenas & vincula ponere, loco affecto admovere topica repellentia, aſtringentia, eaque faſcia firmare mediocriter comprimente, ipſi ἀεργά. Crura verò longiore faſcia invicem fortius adducere. Caſum eundem penitus in ancilla Clariſs. D. Ballonii ante quadriennium obſervavi; quamvis, cum ex alto cecidiſſet, gravius aliæ quoque partes affligerentur. Rideat hic Montanus. At ego illum

illum Anticyram navigare jubeo, & quotquot artis partem, quæ manu curat, ad carnifices devolvunt. Illud quamvis huc directè non faciat, ſilentio non involvo. Januario hujus anni exacto, ad mulierem vocabar Patavinam, quæ per ſummum laborem quatridui jam mortuum fœtum fruſtra conabatur elidere; quum inſerta manu rupto à latere dextro utero caput infantis in abdomine compulſum deprehenderem; demiſſa inſuper manu altera, totam hypogaſtrii pelvim, levi impulſu cedere ac vacillare percipiebam, oſſibus, tam ſub pube quàm ad latera oſſis ſacri, pollicis minimum ſpatio diductis. Mirabantur qui præſentes erant Doctiſſimi Juvenes Thomas Somerellius Scotus, & Joh. Leonicus Ateſtinus, ut mihi quoque nihil veritati largiti viderentur, qui talia dudum ſcriptis divulgarunt. Vale feliciter Vir optime, & Decanatu, quem innuis, per annos aliquot proſpere fungere. 13. Sept. 1640.

XXVI.

De Sacch̄aro veterum & noſtro. Ad Clariſs. Adolphum Vorſtium.

LIteræ Tuæ verè mihi γλυκύπικροι fuere, Vir Clariſs. cum non minus affectus &

valetudinis tuæ vigore me exhilararunt, quam amiſſæ cum ſeminibus pyxidis internuntio adflixerunt. Humanitatis Tuæ fuerit, & amorem in me Tuum perpetuare, & quod Germaniæ calamitas invexit damnum, propitio cum Mercurio reſarcire; ſolidum adeò ſincerumque gaudium largiri. Hovium veſtrum complectar lubens ſi videro, quem propriæ virtutis æſtimatione & commendationis Tuæ pondere, inter ſelectos habiturus & interioris admiſſionis amicos. Salmaſianam de Saccharo ſententiam expendi libenter, doctam Jupiter, & tot autoritatum congerie laborioſam! Duo conatur evincere. Saccharum hodiernum longè aliud eſſe ab eo, quod veteres deſcripſerunt Græci; imò naturæ & facultatum diſſimilitudine adverſa fronte pugnantia: Deinde Saccharum Græcorum citra controverſiam eſſe Tabaxir Perſarum & Arabum, Saccharum aliàs Mambu Indorum; quia illi prorſum quadrat quicquid de Saccharo proditum antiquitus. Ego licet tanti Viri doctrinam maximi faciam, in utroque tamen judicium ejus ſeriò deſidero. Saccharum equidem quod in vetuſtarum cannarum foliis corticibusque ſponte concreto ſucco olim, & repertum ſaccharum arte nunc denſato ſucco eodem

eodem paratum, natura & facultate eadem eſſe, cauſisque tantum concretionis & admiſtis in dealbando heterogeneis diverſa arbitror, nec eſt cur pluribus hic contendam. Verterunt prius illud in medicinæ tantum uſum, authore Plinio, ii quibus nec copia ejus ſuppetebat ad potum nec vini uſus incognitus. Negat Scaliger, mellei ſucci fertiles cannas ſpontaneæ concretionis Saccharum tuliſſe, ſed, quantum obſervo, ſine argumento, ſine fulcro. Ex Mambu Saccharum inter Ægypti & Palæſtinæ incolas non vidi, quod Arabum in Jamin rebellio & continua cum Perſis bella, mercium Indicarum hic inopiam invexerint. Cum Tabaxir in officinis requirerem, obtulere mihi cannæ combuſtæ calamum, cujus particulam his incluſam transmitto. Mambu verò genuinum Saccharum ſi Arabia juxta Plinium producit, cur id ideò doctiſſimis Arabibus ignotum? cur alibi, tantoque pretio redemptum? Dioſcoridæum Saccharum cur idem cum Mambu exiſtimem cauſam habeo nullam. Nam utcunque candoris & dulcedinis aliqua ſimilitudo ipſis intercedat, cætera minimè conſentiunt. Nam ut omittam, arundinem Mambu, à canna ſacchari cavitate, frondibus foliisque diverſam

eſſe; Dioſcoridi Saccharum ἐπὶ καλάμοις ſuper arundines, atque, ut ſubjungit Plinius, gummium modo reperiebatur: Τῇ συστάσει ὅμοιον ἅλσι. Nihil horum in Mambu: cujus Saccharum medulla ipſa eſt intus condenſata; eaque non ſalis conſiſtentia ac duritie, ſed amyli modo coacta: quanquam Bahobab fructus addenſata medulla ſit levi digitorum motu in pulverem diſſipanda (vid. Garziam & Chriſtoph: à Coſta). In facultatibus quoque convenientia vix obſervabilis: Dioſcoridis Saccharum moderatè calefacit, humectat, alvum laxat, exterget; Mambu contra refrigerat, ſiccat, adſtringit, febricitantibus igitur ac fluxu bilioſo vexatis utile: quæ mihi pluribus dilatare per occupationes haud licet. Vale.

XXVII.

De Chyli diſtributione. Ad Clariſſimum Hippolitum Guarinon.

AD Eleuſin tuam quod admittendus non videor, grave quidem eſt; ſed conſolor idem, cum profanum eſſe me cogito, nec judicio, nec ſatis affectu tibi probatum. De chyli

chyli per meſenterii tenues ductus, atque etiam è duodeno immediatè in Pancreas diſtributione, tanquam de re cum ſenſui meo, tum aliorum fidelibus oculis multoties ſubjecta, non habeo quod revocem in dubium. Veterum dogmatibus quid adverſetur agnoſco; quibus tamen advocationem quærere piget, quotiescunque ἀεροβατῶσι cum Ariſtophanæo Socrate, nec ſtabili nituntur fulcro ὀφθαλμοδείξεως. Illud cum Doctiſſimis Viris confidenter affirmo, partem chyli, dum concoctio fit, tenuiorem veluti πνευματῶσει ad propinqua viſcera diffundi: minime vero totam ejus alibilem ſubſtantiam reſolvi; ſed craſſamento ſuo etiamnum permiſtam portionem majorem, in tenuibus potiſſimum inteſtinis demum perfectè & proprias in vias diſtribui, ut inſpectio accuratior ſæpius patefecit. De tenuibus inteſtinis nolim tam abjectè ſentias, quum in clara luce uſum eorum arbitrari licet. Non inquinatur in iis exceptus chylus ob miram diſtributionis celeritatem; quodque dum hic porum cholidochum tranſit, natura bilioſum excrementum intra cyſtin ſuam colligit. Peracta chyli diſpenſatione, profuſo denuò acri veluti lixivio eluit & pro-

pellit, quicquid fæculentarum chyli partium in his inteſtinis ſubſiſtere poterat. Foramina vocas, quos tenues appello meatus, eaque in bove aut elephante comparitura. Vereor mi Guarinoni ut appareant; etiam cum omnia feceris, nec illa tamen abſint. Meatus pituitarios è cerebro ad os ethmoides, ſeminales è proſtatis in urethræ principium, aut à teſtibus mulierum ad uteri tubas, diſſectio vel in magnis cadaveribus non detegit, quantumvis ſubſtantiam transmittant ſatis corpulentam. Mihi ſatis, quod effectum video, licet ad cauſas adeò non aſſurgam, nec ſtuporem meum naturæ ſolertiæ oppono. &c.

XXVIII.

De Coloſtro. Ad Excellentiſſimum Georg. de Medicis Brix.
20. *Januar.* 1641.

DUo contendis: augendam eſſe vermium, qui in inteſtinis generantur, claſſem auctis eorum ſpeciebus: infantibus coloſtrum nullo modo præbendum niſi cogat neceſſitas. Horum prius memorabili obſervatione probas: poſterius argumentis pluribusque momentis

momentis rationum adſeveras. De vermium ſpeciebus te patior tuo abundare ſenſu: mihi duo genera conſtituantur, teretium & latorum. Teretes vel longiores ſunt, qui propriè lumbrici; vel exigui, qui aſcarides. Lati iterum vel longiores vereque teniæ ſeu faſciæ; vel breves, e quibus cucurbitini, qui interdum ſeorſim generantur & excluduntur, interdum adhæſione partium monſtrifera junguntur, ut in pullis & grandiorum animantium fœtibus obſervavi. Mira tamen in utroque genere varietas, utpote quæ μουσιοτέχνης &, ut cum Plinio loquar, in tantæ fœcunditatis gaudio laſcivit. In altero plus mihi tecum negotii, cum non tam Spigelij cauſa agatur, quàm ipſius providæ rerum parentis. Negas exhibendum eſſe Coloſtrum infantibus, cum ſit excrementum morboſum, quia flavum colorem contrahunt pueri, quia ex ſanguineæ humiditatis imperfectiore portione productum, quum perfectior portio in formationem partium fœtus cedat, ex diuturna retentione quaſi ad putredinem diſpoſitum, non boni lactis notas obtinet; ſed viſcoſum flavum ac ſimile videatur ſaniei; quia eſt purgans, adeoque fœtui partim infeſtum ratione qualitatum evidentium & occultarum, cum ſit quaſi putrefactum

factum & veneni naturam adeptum; partim inutile quia fœtus purgatione haud indiget, quoniam excrementum non colligit per ſe ex alimentorum concoctione, ſed per accidens prohibita tranſpiratione: ſi colligeret, expelleret ea ſuis potius viribus. Natura enim magis de homine quàm vilioribus animantibus ſolicita. Falsò accuſas Spigelium aſſerentem, naturam nil in nobis generare quod non cedat in noſtrum uſum. Addis vulgatam paſſim conſuetudinem & pecuariorum uſum. At mihi negotia brevitatem imperant, adeoque compendio ſtringere cogor quæ fuſius proſequeris. Negas ullo modo exhibendum eſſe infantibus coloſtrum, quia tum id per ſe noxium eſt, tum infantibus inutilem operam exhibere judicas. Noxium eſſe per ſe, quoniam excrementum eſt ex imperfectiore ſanguinis portione productum. Hoc ſcire te velim, corpuſculum embryonis partium omnium conſtitutionem ex ſemine habere, conſtitutarum incrementum ex attracto matris ſanguine. Attrahi a fœtu ſanguinis portionem non quæ ſimpliciter perfectior puriorve, ſed quæ ad ſui nutritionem aptior, meliorque exiſtit. Eam verò utcunque ſelectam, partium heterogenearum ſcatere diverſitate ſatis convincuut excrementa,

menta, quæ ſtatim à primis incrementi menſibus colliguntur. Sic ad mammam paulatim allicit natura, quod optimum operi producendo novit, αὐτοδίδακτος ut cum Galeno loquar, à ſe ipſa edocta. Quamvis haud facile conceſſerim, ex ſanguine tantum lac fieri mammis affuſo. Dudum hac in obſcura difficultate facem aliquam nobis præluxit Proſper Martianus notationibus ad Hippocratis l. quem conſulas. Addis, excrementum eſſe morboſum, ex diuturna retentione quaſi putrefactum & veneni naturam adeptum. Itane intempeſtive natura materiam ubera diſtendentem derivat ad mammas, intempeſtivè retentam in virus decoquit? tum verò meritò eam cum Plinio ſugilles, utpote quæ hominem haud affectu materno, ſed odio novercæ proſequatur. Mihi neutrum probatur, & providæ illius Parentis curam, quo fœtum complectitur, ſive editum in lucem, ſive edendum, clarè perſpicio, eandemque, ſi viribus ſuis inſtructa, ſi cauſis externis haud impedita ſit, quæ onere aut qualitate moleſta, eliminare decenter atque expellere: præter inſtitutum autem ejus non eſſe, retineri lacteum ſevum, donec ab infante exſugatur, palam eſt. Nam & in puerperis ſanis omnibus hoc agit, & ab infan-

infantulis attrahitur ejusdem inſtinctu. At viſcoſum, inquis, eſt, flavum, ſaniei ſimile. Habet igitur quo terrent mulierculas, non æquos rerum naturæ arbitros: nec Spigelius coloſtrum lac exiſtimat ſimpliciter alimentoſum, ſed ex parte medicamentoſum. Illud pluris eſt, quod uſu primi lactis infantes flaveſcere ſcribis: neque inficias ibo, id à viris doctis obſervatum. Effectum tamen hunc communiter & in omnes expectare, nego. Vix inter Belgas noſtros, Britannos, Germanos inferiores, apud quos degi, Syros item, Arabes, Ægypti ac Palæſtinæ incolas, tum Patavinos hoſce, ejusmodi ſymptoma compertum habeo, inter quos & ab urbana plebe & ruſtico vulgo innoxiè coloſtrum infantibus datur. Imò utcunque coloris aliquam mutationem ſubeat infans, paulo poſt tamen, quum lac ſenſim alibilius evadat, priſtino & ipſius nitori pedetentim reſtituitur. Sed crimen etiam in eo quæris, quod coloſtrum purget, non quantitate, ſed adverſa humano corpori qualitate, tam manifeſtâ quam occultâ. Mihi tamen & hoc abſolvendum videtur; purgat enim leniter ac citra vim; adeoque parum intereſt, ſive cognitis ſenſui qualitatibus agat, ſive incognitis, quas nolim tamen exiſtimes ob hoc

ipſum

ipſum venenatas eſſe. Conſuetudini veſtratium conſuetudinem aliarum gentium oppono: nec quid à paucis fiat attendo, ſed quid à multis, imò quid rectè, non quid à vulgo. Supereſt ut expendamus, an coloſtrum, quia purgans eſt, infantibus utile. Hoc tibi non admittendum cenſes: cum in utero excrementa ex alimenti coctione reſultantia, natura notis ſibi viis expellat atque in lucem edat: fœtus ob prohibitam tranſpirationem copioſiora excrementa colligere: ab omnibus item ubicumque collectis, naturam ſuis ſeſe viribus expedire poſſe. Hic verò confidenter aſſevero, fœtum à primis ſtatim menſibus excrementa congerere; non tantum in gyris inteſtinorum, ſed etiam veſica & cyſti fellea, antequam παρέγχυμα ſuum jecur, ſive rubicundum ſubſtantiæ colorem acquirit. Hinc copioſior ſenſim eorum proventus eſt, quàm prohibita tranſpiratio, coërcito circa viſcera calore tantum abeſt ut augeat, ut potius imminuat. Vindicat quidem ſeſe ab inutilium onere provida rerum magiſtra; ſed hactenus ut reſpiciat uſum & præſentem & futurum. Aquoſa igitur excrementa dum in utero fœtus adhæret, in amnium expellit, quorum utilis colluvies ad enixus facilitatem loca mater-

Digitized by Google

materna laxat; non fæculenta alia, quæ retineri præſtabat, usque dum ex anguſtiis uteri ſoboles prodiret. Ut edita proles citius ab excrementis liberaretur, lac parabat quod non tam alteret, quam collectas in primis viis ſordes elueret, ob acquiſitam à diuturna retentione ſpiſſitudinem difficile cedentes. Inde laxantium uſum neceſſitas invexit apud eos, qui infantibus Coloſtrum ſubducunt, & exhibiti cum ſaccharo butyri felix ſucceſſus, quem rectè commendas. Malè quoque affectis infantulis, ob retenta procul dubio prava excrementa, coloſtro opus eſſe, utpote familiari ipſorum temperamento, docuit te matrum ſolicitudo: nam ut anticipata purgatione ſuperfluorum ſanos præſervat; ſic mali habitus curat ablata morbi cauſa. Cogitas itaque, naturam lactis primi medicamentoſa qualitate, non exitium fœtus, ſed ſalutem moliri: nec Spigelium falſi commercium mereri, quum de iis ſcribat, quæ operis ſui conſervatrix natura ſtatis immotisque legibus, atque ut cum Hippocrate loquar εἰς ἄριστα ὀδεύουσα, generat; non quæ præter inſtitutum & ex accidenti: primumque lac, ſi bene ſana mater ſit, intrepidè infantulo dari poſſe & debere: ſi non eſt, me quoque judice butyrum ſaccharo ex-

ro ex-

ro exceptum præbeatur primitus; & ſentinam exhauriri patiar in ſpêm melioris proventus. Habes Vir Excellentiſs. quod per occupationes impetrare poſſum: id ſi libero pariter ac benigno judicio expenderis, non erit cur in aliis obſervantiam meam deſideres. Vale.

XXIX.

Conſultatio pro Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Gallaſſo.

AFfectus Illuſtriſs. Domini varia nobis referuntur mictus ſymptomata, quæ Podagram ſubſecuta, comitante pariter febri. Mictus ſymptomata ſunt Stranguria, Dysuria, Iſchuria, quæ partim excretione calculi, partim acrimoniam urinæ demulcentibus ſublata fuere. Podagra ſolitò moleſtior crurum debilitatem attulit graviorem. De hac ipſa tamen veluti evidentiora omnia ſunt; ita obſcuriora pleraque circa Stranguriam, Dyſuriam, Iſchuriam. Cum enim tam renum quam veſicæ affectæ atque obſtructæ ſoboles ſint: nec renum tamen cum ureteribus affectorum ſigna declarantur: nec ſatis confirmatum, quæ læſam obſtructamve fuiſſe veſi-

cam aſſerunt, quum ponderis dolorisque ſenſum abfuiſſe commemoretur, nec cathetere quicquam exſpirari potuerit. Facile tamen mihi perſuaſerim, & ſtillicidium urinæ & ejusdem difficultatem ac retentionem affecta propriè veſica contigiſſe, quod moleſtiæ & cruciatus ab urina ſuppreſſa, circa regionem veſicæ adeoque fundum corporis, ut ſcribitur, acciderint, atque extremitate penis: quodque excrementorum alvi retentio tunc pariter contigerit, haud dubiè inteſtino recto, ob tumorem obſtructæ veſicæ, conſtipato. Quocunque verò modo ſe res habeat, illud palam eſt, urinæ difficultatem & retentionem à craſſo viſcidoque muco, præcipuè autem calculo præſente, originem duxiſſe, quod exemplis & obſervationibus quotidianis ut confirmemus ſuperfluum eſt. Quemadmodum nil attinet anxiè disquirere, in veſica calculi, an renibus concreverint: plures item adſint, an unicus productus fuerit: cum certiſſimum ſit, à renibus utrinque per ureteres in veſicam deſcendere arenulas & ſabulum. In renibus etiam, atque ipſa pariter veſica, lapideam ſoliditatem eadem acquirere, nec ſigna utrobique adeò de calculo, nedum calculorum numero extra tenebras poſita ſunt, quin mentis humanæ conjecturam

jecturam ſubinde fallant. Podagram procul dubio fluxio invexit ab humore pituitoſo: eaque mitior ſi ſincerior fuerit humor; moleſtior autem, ſi acri ſalſoque ſero permixtus. Ab eodem intra venas aut circa jecur putreſcente, horrores & febris proprio ſtipata ſymptomatum ſatellitio dependent. Cauſa itaque communis affectuum omnium pituitoſus humor eſt, ſero ſalſo, tartareoque plus minusve impurus. Generatur hic ob ventriculi & capitis humidam intemperiem nativi caloris languori conjunctam: ſalſedinem & fæculentiam exſerit tartaream, ob jecoris & renum exſuperantem calorem: retinetur ob expultricis debilitatem, partim in renibus & veſica, adeoque tenuiore parte diſcuſſa craſſior magisque viſcida redditur, parte verò ſalſa, tartarea & terreſtri in calculos compingitur: partim circa pedum articulos, adeoque membranis, tendinibus, nervisque tum repletis, tum acrimonia lancinatis dolores accerſit. Nativam viſcerum δυσκρασίαν auxere commiſſi in rerum naturalium uſu errores frequentes, atque inter arma bellique diſcrimina vitæ victusque ἀταξία ſumma. &c.

X X X.

Ad Clariſſimum Marc. Aurelium Severinum. De Venæ ſalvatellæ ſectione, pro Spigelio, 25. Auguſti.

IN Spigelium animadverſionem Tuam expendi, inclementem utique nimis & acrem in virum tam eruditum, operumque naturæ inveſtigatorem eximium. Conatus ille fuit (ſic enim per modeſtiam loquitur) cauſam indagare, cur in melancholicis affectibus ſectio ſalvatellæ profuerit, cum id magnos autores certa docuerit experientia. Tu fundamentum Spigelii ambiguum reddis, quod in anaſtomoſeon frequentia locat, & neſcio quibus titulis proſcribis: tum arterioſi ſanguinis evacuationem in melancholicis affectibus ſimpliciter damnas. Ego Te cum Spigelio in gratiam redire malim, quamvis eum Præceptorem non habuerim. Ac de anaſtomoſeon in extremis manuum, pedum, narium addo auriumque, frequentia majore, non eſt cur dubites; veriſſimam rem adſevero, & quotannis evidentiſſimam obſervo. Cave tamen hic ἀναστομοῦντα ἀγγεῖα, de junctis venarum & arteriarum oſculis tantum accipias, ſed præcipuè de perviis membranis, firmo accedente

dente harum nexu, quem anaſtomoſeos modum in infantium corculis, inter cavam & arteriam venoſam dudum agnovere rei medicæ conditores. Neque improbabile hic quicquam eſt, ſi partes conferas officii communione pares, ſi dextras ſiniſtris & vice versâ; quin potius, ut cum Hippocrate loquar εἰς ἄριστα ὀδευούσης φύσεως, vi & induſtria ſumma. Quod reliqua concernit, ſcire Te par eſt, non fuiſſe Viri Præſtantiſſimi mentem, in omnibus affectibus melancholicis ſectam ſalvatellam ſalutem promoviſſe. Cur enim hoc impingam defuncto & tot pariter ἀλογίας, quas diſertè pariter atque ingeniosè collegiſti? cur id tribuam Viro extra aleam doctisſimo? Crediderim, magis reſpexiſſe eum ad melancholicos affectus, qui oriuntur per conſenſum, ut loquuntur Practici, totius & potiſſimum cordis, adeoque vel ob hujus vitium proprium vel ob intemperiem jecoris & lienis, ſive ſeorſum patiantur, ſive junctim. In his itaque caſibus quum peccans materia non tantum in venis ſit, ſed etiam arteriis ob neceſſariam ſanguinis per arterias in venas παλινδρομήν: potiſſimum corde ipſo πέρι φύσιν affecto: confidenter ex ſalvatella ſan-

guinem mittam. Et quid inutiliter? Venæ enim ſic affectorum etiam in partibus extremis amplæ ſunt & turgidæ, exitumque materiæ inprimis negant, ſanguini præcipuè permiſtæ. Ducitur & quæ in venis peccat, & quæ nocet etiam in arteriis, pari viſcerum commodo (magis autem cordis & lienis). Quin & modi hic imperator Medicus eſto, ne viribus detrimentum afferatur; quæ lex veluti Lesbia norma, medicam omnem molitionem definit. Atque ſectio, inquis, venarum pedis idem hic præſtabit emolumentum, adeoque ſuperſtitioſè magis quam circumſpectè ad particularem manus venulam reſpexit Adrianus. Ego de emolumento certus ſum, ob ſucci peccantis naturam, quia καταῤῥοπον & viſcerum, ſi cor excipias & caput, propinquitatem. Neque hoc in dubium traxit Spigelius, quem ſcio funem cum iis haud duxiſſe, qui certis manuum pedumque venis eligendis, vel in diſcrimen rapere malunt ægrum, quam diſcedere paralogismis. Tantum eſt, quantum ad animadverſionem Tuam, ex juſſu Tuo & pro amicitiæ noſtræ libertate proferre debui, imò quantum per occupationes potui. Benignitatis tuæ fuerit, ea hæc expendere lance, qua ſoles cætera, quæ tenuitas mea abortire

magis,

magis, quàm parturire conſuevit. Vale feliciter. 25. Aug. 1642.

XXXI.

Clariſſimo Liceto. De Paradoxo Harvejano.

DIu eſt, Clariſs. Vir, quod à finitimo terris ſidere detineris cui majeſtatem aſſeris, aſſerto congenitæ lucis honore, dignè adeò quem pro Eudymione amet Luna, quemque oſculo divino muneretur. Revocare tamen te malim ad quæ propius oculis noſtris admovit natura, ad hominis ſcilicet contemplationem, & quam Pythius exigebat Apollo, τὴν σεαυτῶ γνῶσιν. Equidem mundi & hominis analogiam quanta Icum ingenii doctrinæque laude protuleris, etiamnum animo obverſatur. Hæc ecce habet hic Eleuſis quod oſtendat reviſenti. Harvejum noſtrum ſi audis, agnoſces cœleſtem ſanguinis & ſpirituum cyclum, dum is è ſiniſtro cordis thalamo arterias ingreſſus, ex arteriis per venas in dextrum cordis ſinum regreditur; patebit hic quoque, aſtra ſolem ſuum ſalutare, eidem ſe jungere, ab eodem ſeſe disjungere: terram microcoſmi per vices ſiderali face lu-

 ſtran-

Digitized by Google

ſtrandam eſſe, & illam humiditatum colluviem perenni acceſſu ac receſſu intra alveum ſuum pari cum Oceano paſſu conſervandam. Mihi indicem intendiſſe digitum ſatis ſit. Tu rem ipſam, qua polles judicii dexteritate, expendes, certus non in generatione tantum rerum, ſed eorum quoque conſervatione διαυλοδρομεῖν τὴν φύσιν ἐπὶ τὴν ἀρχὴν, ut Philoſophi verba uſurpem. Vale feliciter.

XXXII.

De Suffocatione Uterina. Ad Clariſs. Dn. Soncinum.

QUum exhibita mihi pagina, qua mirum Nobiliſſimæ Virginis affectum accurate deſcripſeras, diutius intra manus amicorum detenta fuerit, tardius, quàm par eſt, ſententiam meam Excellenti Tuo judicio exponam, idque vel eo paucioribus in præſenti facere cogor, quo major occupationum ſeries mentem pariter ac ſtylum aliorſum compellit. Atque affectum ipſum Virginis ſi uterinam ſuffocationem pronunciem, nec ſymptomatum prohibeor varietate, qua vitales animaleſque functiones peſſundantur, nec terminatione paro-

Digitized by Google

paroxyſmi per effluxam ex oculis lacrymam, cum & accidentia quæ recenſentur dudum in hyſtericis obſervata fuerint, neque illacrymatio copioſa, quamvis inſolitum in hoc morbo opus, ut viribus naturæ diſpar, aut modnm implicat ejusdem huic inſtituto adverſum. Partem morbo obſeſſam præcipuè uterum arbitror, in quo languidam expultricem vim & tardius fluentia menſtrua & paucos deinde poſt menſes ſuppreſſa palam faciunt. Hunc itaque graviter obſtructum eſſe, vix ambiguum videtur, aut ſimili malæ compoſitionis vitio detineri, quod in hujus conditionis ægris frequentius defunctorum anatome, quàm Medicorum conjectura patefecit. Uteri labem & retentam menſtruorum eluviem, ingens naturalis œconomiæ detrimentum ſubſecutum eſt. Nam reſtagnans ad jecur & lienem impurus ſanguis, concepta putredine validam febrem excitavit, intemperiem jecoris ac potiſſimum lienis præcalidam, adeòque æſtum præcordiorum invexit perpetuum, utcunque diſcuſſa febri. Cauſam proximam ſæviſſimorum ſymptomatum agnoſco vaporem malignum & narcoticum ab utero aſcendentem, cordi ſed præcipuè ſpiritibus animalibus totius ſubſtantiæ proprietate infeſtum. Elevatur hic

Digitized by Google

mariò quidem ab utero ejuſque vaſis, fæculento corruptoque ſanguine & ſemine infarctis; ſecundariò à viſceribus, reſtagnantibus ab utero perverſis humoribus perfuſis, unde ad eorum vel mediocrem compreſſionem, tanquam commota ſentina, pernicioſæ illius auræ afflatu functiones animales percelluntur. Cumque hæc fæculenti ſanguinis congeries, quoniam indies acceſſione materiæ novæ auctior, quaſi fermenteſcit, ſimili melancholiæ typo determinatis intervallis Naturam laceſſit & oppugnat. Neque obſtat, quod ſenſus formiculationis à pedibus initium ducat. Etenim vermiforme uteri ligamentum dicam an proceſſus cum in membranoſum tendinem, qui pedem univerſum involvit & tibiam, expandatur, facilem eorum cum matrice conſenſum agnoſcere licet. Majus negotium faceſſunt circa ſuperfluorum excretionem obſervata ſymptomata. Nam urinam quod longis aliquot dierum intervallis profundit & tum quoque modicam quantitate, utcunque referamus ad æſtuantium viſcerum calorem, ſerum in ſanguine redundans abſumentem, quia ſanis etiam animantibus, qualia aves, piſces, atque inter quadrupeda teſtudo, vel in nutrimentum partium ignobilium vertit Natura, vel

per

Digitized by Google

per ἄδηλον διαπνοὴν diſcutit. Bilioſum item excrementum quibusdam animantibus ob ſanguinis ſingularem puritatem deeſſe, libens Philoſopho conceſſerim. At alvi excrementa integro jam quadriennio ægram haud egeſſiſſe, mentis meæ conjectura non capit. Equidem ſi de plantula nobis disquiſitio foret, in promtu pariter ratio foret, & τὴν πεπεμμένην τροφὴν cum Stagyrita, alimentum jam ante à terra ſubactum, abſentium excrementorum cauſam allegarem confidenter. Nunc de homine ſolo ſcribo, cui juxta cum reliquis omnibus perfectis animalibus, Ariſtot. (de part. animal. lib. 2. cap. 10.) duas aſſignat ἀναγκαιότατα μόρια, partes ſummè neceſſarias, unam quæ cibum recipiat, alteram quæ excrementum excludat, adeoque in vacca Perinthi meatu naturali clauſo per veſicam excrementum alvi transmiſſum fuiſſe l. 4. part. c. 4. Simile bis in praxi obſervavi, & frequentius in abdominis fiſtulis ad inteſtina pertingentibus tum ipſe tum alii dudum notarunt. Ab Ileo & periculoſa Enterocele conſtipato, rupto, contortove inteſtino quid contingat notiſſimum eſt. Chamæleontis olim cum abdomen ſectione aperirem, fæces utcunque

paucas

paucas & ſiccas in gyris inteſtinorum deprehendebam, cujus cibus quemadmodum pauciſſimus & rarò aſſumitur, ſic alvi excrementa vix uſpiam apparent. Jam ad cauſas ſi convertar portentoſi ſymptomatis; in calorem referendum eſſe potiſſimum, palam eſt, in nob. part. liene & jecore valde intenſum.

Hic verò rapere cum humidiore chyli portione atque attrahere craſſamenta poteſt, eademque impingere viſceribus: quod ſi in virgine ægra contigit, jam dudum viſcera naturalia cum meſenterio ac pancreate peſſimum in modum obſtructa, tumefactaque nullam amplius actionem corpori ſalutarem obirent. Aut reſoluta humidiore chyli parte, fæculenta relicta ſenſim indurare, ipſis inteſtinorum tunicis velut agglutinare calor idem poteſt, cujuſmodi exemplum exhibuit mulier Veneta, cujus tenuibus inteſtinis aperto per ſectionem abdomine, ingens quantitas flaveſcentium ſordium, lapidea duritie ita accreverat, ut citra vim ab interna inteſtinorum tunica ſeparari nequiverint, ſummamque viventi difficultatem alvi concitarant. Sic in deſtillationibus artificioſis ſuccorum, poſtquam exhalabilia omnia calor reſolvit, quod

quod ſuperſtes eſt craſſamentum, fundo vaſis obhæret; id verò ſiquidem in nobili ægra obtinet, non obſcura fuerit & ventris durities, & pondus aſſiduo doloris ſenſu moleſtum. Horum autem ſi nihil evenit, facile adduxeris ut mihi perſuadeam, ut fallaciam huic rei ſubeſſe muliebrem, exiguum quid reſiccati ſtercoris pro nullo ducentium: aut cauſam intercedere quæ Phyſicæ limites excedit. Sed de prognoſi & remediorum inſtruenda acie aliàs: mihi pauſam hîc imperant occupationes. Vale Clariſs. Vir & abſenti, ut facis, amorem perpetua. 21. Octobris. 1642.

XXXIII.

De Eadem. Ad Eundem.

DE cura perfecta Nobiliſs. Virginis, cujus nuper ægritudinem expendebamus, ſpem omnem abjeci; quid enim in diuturno pariter atque atroci affectu proficiunt remedia? poſtquam uterum & naturalia viſcera non σχέσει ſed ἕξει quadam occupaſſe videtur. Auget eventus melioris difficultatem ægræ conditio. Virgo enim Deoque ſacra, quam omni præſidiorum apparatu excipere fas non eſt. Oppugna-

pugnare tamen & minuere, par eſt, quod tolli quodque deleri nequit. In cujus expeditionem duo præcipuè reſpicienda exiſtimo. Uterum, ut corrupta in vaſis ejus materia ſubducatur ipſusque roboretur. Viſcera naturalia, ut fervor eorum mitigetur, atque eorum ab humorum fæculentorum incurſu obſtructio, quantum fieri poteſt, ſummoveatur. Utrumque aut nullis aut non niſi blandis remediis obtinere licet, in tanta virum jacturâ. Igitur ut paucis proponam, quæ Viro Clariſs. notiſſima ſunt: Inter Chirurgica moderatam ſanguinis miſſionem in ſaphæna pedum menſibus ſingulis, circa primam lunæ quadrantem, utiliſſimam cenſeo. Fonticulum item in utraque coxa: tum veſicantia ibidem ſed altius verſus inguina, poſt phlebotomiam admovenda. Sub imminentem paroxyſmum frictiones pedum, aſperæ ligaturæ validiores, & cucurbitulæ ſine ſcarificatu, flamma tamen copioſiore indies impactæ, opitulabuntur. E Pharmaceuticis, ſi de alterantibus ſermo ſit, blandè aperientia ſimulque calorem viſcerum demulcentia cæteris præferenda: placebunt hoc nomine ſyrupi de althæa Fernelij, de pomis, de jujubis, de glyzyrrhiza, de borragine, bizanthinus cum aceto, de floribus malva-

rum

rum & meliloti, qui dilui poſſunt decoctione endiviæ, ſonchi, taraxaci, rad. acetoſæ & graminis, additis prunis dulcibus paſſulis, uviſque paſſis. Si de purgantibus cogitamus, utilius videtur, expultricem potius inteſtini recti, uterumque huic conjunctum per clyſteres & glandes crebrius incitate, quàm cathartica per os exhibere; deorſum enim cogenda ſunt fæculenta omnia, quæ præpoſtero motu è ventriculo proximiſque tenuibus inteſtinis in pancreas & viſcera deinde rapit, oblita muneris ſui natura. Parabuntur Clyſteres è decoctione centaurii minoris, rad. lapathi, fumaria, hyſſopo, rad. cyclaminis, cucum. agreſt. Iridis, polypodii: cumque validioribus pugnandum, è rad. tithymalorum, hellebori utriusque chamælii & thymelæi, additis ſpeciebus hieræ, diacolocynthidos & trochiſcis alhandal, quibus ſaccharum rubrum, oleumque rutaceum, cyclaminum, euphorbii, purgantiaque electuaria validiora jungi poſſunt.

Validioribus ob uteri labem abſtinerem. Ad corporis totius contemperationem non diſplicet ſeri caprini calidè aſſumti uſus, aut aquarum thermalium ferri viribus imbutarum, ſaltem alterutrum ventriculis perferre poſſet. Pro abſumendis corruptis circa uterum

rum humoribus, eodemque roborando ſingulariter proderunt, extractum menthæ, ſeminum agni caſti, croci, camphoræ, caſtorei, myrrhæ, cum ſpiritu vini paratum, oleum è ſuccino ſtillatitium, balſamum orientale genuinum; eaque ſucco borraginis aut endiviæ inſpiſſato ad calorem moderandum permiſta, boli forma aſſumi queunt, quibus ſuperbibendum fuerit decoctum aut juſculum ſupra notatis aperientibus præditum, addita artemiſiæ, matricariæ &c. portione. Diætam non adjungo &c. Sorbilibus temperatis conſervanda ægra. Defendat Harvæi dogma ipſi dicatum, &c. 25. Novembris.

XXXIV.

Ad Clariſſimum Thomam Bartholinum. De innato Lumine.

IN animantibus non veſtigia tantum lucis ſed fomitem & promumcondum ipſum. Neque enim, ut cum Marone loquar,

--- ex oculis tantum micat acribus ignis;

Sed toto pariter corpore bene valentium lucidus aliquis nitor ſe diffundit: quem cum vel momento ſubducant morbi, quid aliud quàm

quàm obſcurare videntur naturalium fulgorem, &, ut Lucretius loquitur,

—— radios inter quaſi rumpere lucis?

Cauſam optimè patere tibi cum Philoſopho ſcio, & ἀνάλογον τῶν ἄστρων στοιχείῳ puriorem in animantium penetralibus ignem. Igitur in contextu illo Univerſi,

Largus uti liquidi fons luminis ætherius Sol
Irrigat aſſiduè cœlum candore recenti;

Sic in animantium corpore, à corde cum calore ſpiritus ſeſe explicat cœleſtis, à quô tam teneris in genis, quam reliquo membrorum habitu, ſplendor effloreſcit. In recentius mactatorum pecudum cerebro, tenuius diſſecto, nitorem aliquem luminis evidenter oculis uſurpamus. Memini, cum catuli Hyænæ viventis pericardium diſcinderem, cor igneo quaſi fulgore aliquantiſper micaſſe, mirante, qui ſectioni favebat, Aloyſio Cornelio Conſule Venetorum. Verſus Abn Ismael Tograi ſic latino ſermone traduxi. &c.

XXXV.

Conſilium pro Reverend. N. 20. Decembris 1643. in Dyſuria.

DYſuria, cui obnoxius eſt Reverend. patiens, accidentia quidem ſecum trahit manifeſta, cauſam verò non ita facile conjectura detegendam. Memini duorum, qui ex dyſuria diem ſuum obierant, quorum veſicam diſſecto corpore totam albicante atque mucoſa materia plenam deprehendi (valdeque lenta), tum generatum colli prope orificium tuberculum carnoſum: quo ſeſe exeunti urinæ plurimum opponente, craſſamenta paulatim coacervata difficilem primò urinæ exitum reddebant, tandem omninò ſupprimebant. Aliis detentus in veſica calculus dyſuriæ moleſtias creavit, atque hic quoque vel obſcuris vel nullis ſignis deprehenſus, quotiescunque vel innatus veſicæ fuit, vel ſuperficie lævis, circumfuſi lenti phlegmatis veluti cyſti involutus. Frequentior tamen ab acris pituitæ cum urina miſtura dyſuria eſt, ut non ſine ratione Cl. Viris, qui curam ægri habent, perſuaſum eſt. Utcunque tamen humanæ mentis conjectura cauſam mali proximam non attingat, neceſſarium eſt, pituitam acrem à renibus adeoque veſica divertere, temperare viſcerum calorem, à quo ſalſedinem acquirit, & accuratâ victus ratione proventum ejus prohibere, idque per ea, quæ à prudentiſſimis Viris optimè præ-

ſcripta

Digitized by Google

ſcripta video. Sanguinis miſſionem primo ex ſalvatella manus, deinceps ex hæmorrhoidibus, renum, jecorisque calor & verſus noctem æſtus requirit: nec eſt, quod eam Reverendiſs. patiens reformidet, ſi quantitas mittatur exigua, viriumque ſtatus mediocriter firmus. Caſſiæ uſum magis circumſpectum ſuaderem: ea enim quo annoſior eò calidior exiſtit; & partem ſecum humorum ad renes conducendo, calidæ atque acris urinæ fluxum non rarò concitavit, ut dudum Fabr. Hildanus & Joh. Pigræus, Medici diligentiſſimi, notarunt. Hujus loco mannam, aut ex roſis violisque ſolutivos ſyrupos: ex agarico item aut aggregativis paratas pauculas pilulas uſurpari malim. Spiritu quoque vitrioli abſtinerem: tum quia diureticus, tum quia nec veſicæ collo, forſan leviter corroſo, aptus: & ad urinæ mordacitatem minimè temperatus. Balneum quoque ex lacte vel aqua dulci cum refrigerantium herbarum decoctione, idque tepidum tantum, præſtaret moleſtiarum totius levamen. Ejus tamen loco ſacculi herbis remollientibus impleti, atque in lacte decocti, perinæo atque hypogaſtrio tepidè admoti, commodè pariter atque utiliter adhiberi poſſunt. Sic Viris doctiſs. ὁμόψηφος paucis & ex animo conſulo.

Digitized by Google

XXXVI.

De Parte in Pleuritide affecta. Clariſſimo Baldo. 4. Feb.

SCripſi me certum eſſe, pleuritidem non alteri corporis parti, quàm pleuræ convenire: valde eam attenuari, quum intra ejus,ut vulgo loquimur, duplicaturam ἀπόστασις contingit: materiam in ea collectam, muſculis intercoſtalibus, internis ſeſe contrahentibus, plurimum compelli verſus pulmones. hos ſæpè cum pleura conjungi, aliquoties etiam coaluiſſe, diſſectione cadaverum obſervavi: membranam pulmonis tenuiſſimam eſſe & poroſam, idque multò magis quàm tympano aurium obtentam, quam tenues humores, & aër, & nicotianæ fumus non difficulter tranſeunt. quemadmodum & duram meningem cerebri, ſi,auribus naſo atque ore compreſſis, ſpiritus impellatur, ut in penetrantibus cranii rimis frequenter deprehendi, illæſa penitus membrana. Optimè quoque memini, diſſectis pleuriticorum corporibus, pulmones non ſecundum parenchymatis latitudinem; ſed qua parte purulentæ pleuræ jungebantur corruptos fuiſſe. Secus in adoleſcente, qui in Noſocomio majore hujus urbis fato

fato ceſſerat, res habebat: nam in diplomate pleuræ purulentam fœdamque materiam congeſſerat, nondum adeò affectis pulmonibus, ut paucis jam exactis diebus mihi compertum eſt.

XXXVII.

Reſp. ad Med: Veron in Contuſ. capitis.

CAſus &c. Quod ſi collecti circa os ethmoïdes ſanguinis indicia vel perſiſtant, vel alia capitis parte ſe proferant, etiamſi os (quod fatuum aperire ſcribebat Medicus) integrum ſit, ut cum Hipp. loq. ἐς πρίσιν ἀφήκει, l. de vuln. capitis, ad ſectionem veniendum, vid. Celſ. cap. de fract. capitis. Idque non ſtulta vulgi perſuaſione, ſed ratione experientiâ ſubnixa veterumque Clariſs. auctoritate confirmata. Os quidem ipſum ethmoides in homine ætatis jam adultæ, propriis ſuturis circundatum eſt, nec chirurgiæ facile obvium: attamen ſupra illud in oſſe frontis, ſaltem à medio ejus & ſuperciliis receſſus fiat, oculata manus quæ neceſſaria ſunt perficiet. Faxit ſalutis autor, ut Nobiliſs. æger molliore via valetudinem conſequatur. Ita conſulo & voveo.

XXVII.

Reſp. ad Conſult. 3. Mart. De Pene flaccido.

VIr robuſtus, pene utcunque erecto & valido, à biennio nunquam ſemen in frequentiſſimo licet coitu emittere poteſt, quod tamen jam flaccido pene contactis uxoris genitalibus, facile excernit: adeoque de veneficio ſuſpicionem habent. Reſpondeo, de veneficio rem abſolutè non eſſe negandam: ſi tamen naturalis cauſa eſt; ad capſularum ſeminalium & proſtatarum languorem adeoque expultricis debilitatem reſpiciendum eſſe, unde neque turgeſcit in illis ſemen, niſi præcedente copioſi ſpiritus & caloris affluxu poſt erectionem penis: neque expellitur, niſi eodem flacceſcente relaxatis ad urethram pertinentibus meatibus. In muſculis etiam urethram dilatantibus ſimile eſſe vitium, oſtendit quod tenſionem ſolitam circa radicem penis haud percipit æger. Quibus ita ſe habentibus convenient fomenta, unguenta perinæi & inteſtini recti qua reſpicit proſtratas; Emplaſtrum barbarum; Victus ad calidum inclinans; uſus pilul. ex caſtoreo & caryophyllis: pene relaxato non ſtatim ſe à conjuge ſejungat. &c.

XXXIX. *Re-*

Digitized by Google

XXXIX.

Reſponſ. ad Excell. Joh. Nardium. De Taxo & Mumia Ægyptiaca.

ARborem (Lucret. 6. de rer. natura) floris odore necantem vix aliam cum Lambino accipiendam arbitror, quàm Taxum. Nam licet cum Junipero & Juglande gravem imò lethalem umbram obtinere dicatur: vim tamen noxiam in florum odore deliteſcere, non vanè conjecere viri rerum naturæ ſtudioſi. Confirmat hæc Plutarchus, autor graviſſimus, qui lib. 3. quæſt. conviv. tradidit, tunc potiſſimum mortiferam eſſe Taxi umbram ὅταν ὁρμᾷ πρὸς τὴν ἄνθησιν, cum ad aperiendos flores ſuos naturæ impetu concitatur. Medicata Ægyptiorum funera vidi ſemper è ſubterraneis cubiculis ſubducta non procul à Pyramidibus Memphis, magna ex parte loculis propriis incluſa. Hæc τύπυς ξυλίνυς ἀνθρωποειδὲς vocat Herodotus, quia ferè lignea erat materies: illa οἰκήματα θηκαῖα, quia laxiora ſunt & corporum plurimorum capacia. Condimenta exquiſitioris miſturæ, vix in uno alterove è multis mihi notavi: Pleraque corporum, exemptis interaneis, poſtquam nitro tabefacta fuerunt, piſſaſphalto condita.

Cura circa ſingula atque ornatus omninò diverſus deprehenditur. Quamplurima, præter pannos & faſcias artifici manu inductas, nihil curioſis videndum exhibent, loculis quoque propriis deſtituta. Quorundam pectora libris, chartisve complicatis, quæ ſacris notis exaratæ, tum Deorum ſimulacris infarcta ſunt: faſciæ exterius gypſo imbutæ, hieroglyphicis deinde auro, variisque coloribus pictæ. Semel obſervavi faſciis pretioſum ex ſerico textum, ac veluti peplum hieroglyphicis undique elaboratum circundediſſe Penelopen aliquam, pendente à collo ſerico funiculo cum annexis aliquot gemmis. Loculi cadaverum, ut ex Herodoto innui, ferè lignei ſunt, ex ebeno, cupreſſo, cedro ſimilibusque ad humani corporis figuram exactis: memini tamen, ex integro Jaſpide loculum me vidiſſe, apud mercatorem Alexandrinum, Iſidis ſchemate artificioſo & ſacrarum notarum inſigni varietate non minus quàm materia ſua pretioſum; ſed jam ante cadaver exemtum erat, quam è conditorio ſua lapis auferebatur. Situs omnium in monumentis rectus eſt, inclinato ad parietem corpore: niſi exteriorum impulſu concidant, ventorum præcipuè, Cryptas mumiarum violenter ſubeuntium & vim arenarum,

Digitized by Google

narum, ne dicam montes, inſpirantium, quæ cadaverum inveſtigandorum præcipuam difficultatem parit. Poſitum illum pariter expreſſit Herodotus, cum refert τὸν νεκρὸν ἱςασθαι ὀρθὸς πρὸς τὰ τάχας. Sed de his, ſi vitam otiumque largitur Deus, in comnient: ad Euterpen hujus auctoris aliquando pluribus agam.

X L.

Conſil. pro Equite Mediolan. Illuſtriſs. de Pupillæ ampliatione.

PUpillæ ampliatio, quamvis poſt quatuordecim dies à lectione vel intuitu literarum minutarum obſervata fuerit, ab oculi tamen valido ictu contigit. Non tamen facta ruptura, quia æqualis orbita pupillæ remanet, & nihil ſanguinis effuſum: neque ab incurſu humorum producta, quia cæcitatem incuiriſſet æger, id quod factum non eſt: ſed per ictum ſimpliciter dilatata pupilla fuit; quod utcunque oculo diu clauſo, & appoſitis medicamentis conniverit: dato irritamento & influxu ſpirituum, ſe denuò manifeſtavit. Spes omnis in revellentibus, blande aſtringentibus topicis, & fuga rerum oculos irritantium.

XLI.

Ad Clariſs. Nardium 27. Jul.
De Taxo.

VErum quidem eſt, propriam Parnaſſo Taxum non eſſe, facta jam à diligentiſſimis Viris per omnes Europæ tractus plantarum inveſtigatione. At auctor Parnaſſo Taxum adſcripſit, à quo hoc ipſum mutuatus Carus ille, mihi quoque cariſſimus, quod alibi ſtirpem hanc naſci non obſervaſſet: potuitque idem ſenſiſſe Lucretius, eo præſertim ſeculo, quo apud Quirites, fatente Seneca, Medicina paucularum herbarum ſcientia fuit. Neque infamis Taxi proventu apud autores noſtros Parnaſſus eſt, quia non ſylvulis integris, ſed ſparſim raròque in eo viſitur, ſalutaribus multis pauca noxia velantibus, in ſacra iſta Muſarum ſede. &c.

XLII.

Ad Cl. Eſaiam Sachs. Med. Cæſ.
De Cacao.

DE Latomo noſtro &c. Cacao fructum inter amygdalarum ſpecies dudum materiæ exoticæ Viri periti retulerunt, ſive figuram

figuram tantum ſpectarint, ſive temperamenti pariter habuerint rationem, quo guſtui vix obſervabilem qualitatum primarum exceſſum exhibet. De compoſitione verò, quæ tot peregrinarum mercium acceſſione chocolatæ nomine ex Cacao paratur, neceſſariò varium erit judicium, ſi pro libitu componentium materia ipſa variet. Quam hic in officinis explorare potui, ea linguam meam tam evidenti caloris ἐξοχῇ afficiebat, ut tertium calidorum ordinem accedere videretur. Hanc ut inter Panaceas deponamus, non Tibi Cl. Sachſi, non mihi, ullæ mulierum næniæ perſuaſerint.

XLIII.

Cl. Horſtio Marpurgi.
De Ductibus Chyliferis.

CHyliferos ductus in omnibus à me diſſectis ab annis viginti cadaveribus, & agnovi, & curioſis oſtendi. Sæpius item in infantibus tempore lactationis mortem oppetentibus, biduo, triduo &, prout ſervandis corpuſculis hyems favebat, longioribus quoque intervallis, cremore ſuo etiamnum plenos conſpexi: quorum ſeriem delineatam, æriquc

Digitized by Google

æriqueinciſam in ſyntagmate meo, hoc, ut ſpero, anno videbis: quod auctius &c. Jam enim tædet me Hoffmanni noſtri, Viri tanti, qui à veterum veſtigio, nec ſenſu, nec ratione ulla dimoveri poteſt. Vale. X. Maji.

XLIV.

Ad Excellentiſſimum Mauritium Hofmannum, De monſtri ἀνεγκεφάλου motu in utero.

UBerem cepi lætitiam è ſuaviſſimis literis Tuis vir Præſtantisſ. in quibus, tanquam plenum extra nubem os Sol proferret, affectum in me Tuum gratamque dediti tibi pectoris memoriam abunde perſpexi. Quam auctiorem effeciſti, transmiſſa monſtroſi abortus, non eleganti minus σκιαγραφίᾳ, quàm accuratâ peritaque deſcriptione tua, ut meritò gratias utriusque nomine agam, habeamque planè ſingulares. Motus autem hujus monſtri tum à genitrice tum ab obſtetrice deprehenſus, haud ſecus admirationem excitet contemplantium, quàm defectus cerebri, medullæque dorſi ipſius. Ambiguum quidem videatur, à fœtu fuerit hic motus, an à partibus

bus circa fœtum obhærentibus. Non enim rarò inteſtina flatu palpitantia, ſive embryone, ſive mola gravis eſſet uterus, tanquam concepta ſoboles moveretur, mulieres pariter atque obſtetrices deluſerunt. Fecere idem & uteri motus ſe ad moleſtorum expulſionem per intervalla quatientis, cujusmodi in hyſtericis admotâ circa fundum manu ſæpius percepi. Credam tamen ab ipſo fuiſſe fœtu, non quidem blandè veluti obrepentis, quod animalis facultatis majore vigore contingit; ſed σκιρτήσει ſive concuſſione quadam ſubinde corpuſculum incitantis. Hoc ut mihi perſuaſerim, effecit crebra fœtuum oviparorum inſpectio, in quibus motus tales aliquoties notavi, quum placidè remoto chorio detegerentur, idque antequam compuncti ſtylo ſenſus ullius motusque per muſculos adminiſtrandi indicia exſererent. Vim cauſamque concuſſionis illius haudquaquam à cerebro, cujus functiones per id ætatis etiamnum ſopitæ, ſed à corde derivandam cenſui: neque aliter in monſtro propoſito fieri poteſt. Quamvis enim crediderim, quemadmodum oculi & lingua, ſic reliquas ſub capite partes nervulos ſuos habuiſſe: abundè tamen notum eſt, nullam in iis movendi ἐνέργειαν
eſſe

eſſe, cum à cerebro ſpiritus non influit, ſicuti nec cerebro, quum à corde præſidia non ſuppetunt. Itaque à diffuſo vitali ſpiritu caloreque tantum hujus motus fundamentum deduxerim, qui & copioſior in embryone, & emicare ſponte per naturam ſuam atque enitere ſolet: unde tam cor nativam ſibi ſedem, quam ſanguinem in ea, arteriisque contentum ſimili πηδήσει concitat & corpuſculum adeò univerſum ſui plenum, præſertim cum a fortuitorum occurſu vel impedimenta vel nocumenta ingruunt. Similia in plantis obſerves, quamvis nativi illius ignis ſenſus motumque ſenſibus humanis haud ingerant, quarum plurimæ flores ſuos tanquam oſcula claudunt & aperiunt: Sophera ſephan, acaciæ folia diducunt, atque abducunt, præcipuè vere, quod elapſo anno hic notum, Securidacam Indicam ſpinoſam ſive Mimoſam appellant herbam: non folia tantum celeriter à contactu committens, ſed interpoſitum ramulum totum prompte contorquens; in qua non eſt cur de cerebro diffuſoque animali ſpiritu vel cogitemus. Vellem plura, niſi confertum occupationum agmen calamum ſiſteret. Vale. Cl. Hoffmannum meo nomine quam officioſe ſalutes velim. Pat. 31. Maj.

X L V.

Cl. D. Joh. Georg. Volckamero. De Obſtetricis officio.

RESpiro tandem à publico diſſectionum ſolennium labore, jamque gratiſſimis literis Tuis debitam diutius reſponſi vicem libens refero, quibus & amoris erga me tui integritate, transmiſſo & ponderoſi non calculi, ſed ſaxei potius ſchemate intra veſicam humanam concreti, ſuaviter animum meum affeciſti. Diſſidium obſtetricum in corrigendo depravato fœtus ſitu, atque earum perexitioſa adverſus meliora monentes pervicacia plurimum mihi diſplicet. Officium profectò inſinuandæ utero manus neceſſarium requiris, addo & facile & tutum. Quodque ipſe miſertus periturarum, cum peritas obſtetrices animoſasque non haberent, citra moleſtiam gravidarum ſæpius in me recepi. Scio tamen, pleraſque obſtetrices non aggredi hoc opus, utpote quæ vel ignorantiæ ſuæ ſibi conſciæ ſunt circa internam locorum diſpoſitionem, vel parturientis impatientia mulierumque trepidantium clamoribus & confuſione impediuntur, vel infamiæ metu, cum res ex voto non ſemper ſuccedat, abſter-

abſterrentur. Neceſſarium ſcripſi, quia inter alia omnia præſidia maximè atque expeditè perverſum infantis poſitum emendat. Facile idem, ſi tempeſtivè fiat, & antequam per violentos aliquot plurium horarum aut dierum enixus infans in dorſum, latera, ventremve coactus, vel oſſium hypogaſtrii pelvi, inguinibus genitricis, tanquam cuneus infixus hæreat, vel cum ingens mola pariter ac fœtus in utero ſuccreviſſet. Augebit facilitatem manus exilitas, atque oleorum opera inducta lubricitas, ſique junctim prius inducti digiti, moxque explicati cum ſubſequente manu per ambitum uteri leni flexu circumferantur. Denique tutum, ſiquidem uterum ambientem à ſecundinis ac fœtu diſtinguere norint. Norint autem, ſi mulierum cum ſobole extinctarum uterum à diſſectione inſpexerint, nexum cum eo ſecundinarum, promptamque harum ſeparationem animadverterint. Rumpitur ipſe uterus, quod frequentius quam creditur contingit, & jam quater diſſectis à me gravidis obſervavi. Itaque libenter obſtetrices, ſiue publicè in theatro noſtro ſive privatim gravidas anatomiæ ſors offerret, ad inſpectionem admiſi, imò invitavi. Vellem magiſtratus quoque hic cura

cura excitaretur atque autoritas, juberetque gravidarum uteros ab anatomes perito Medico præſentibus obſtetricibus aperire, ut praxeos hujus fundamenta ritè ponant. Itaque ut paucis me expediam: optimæ fuerit obſtetricis, cum prodeuntibus aquis ruptas eſſe ſecundinarum membranas, fœtumque pudendo imminere cognoſcit, ſtatim digitis tantum eo directis ſitum illius explorare, quem ſi naturalem deprehendit, nihil porro manu molietur, ſed obortas difficultates circa magnitudinem infantis aut uteri anguſtiam externis laxantibus mitigare ſtudebit. Si contra perverſum deprehendit, maximè ſi in latera fœtum, aut ventrem provolutum advertit, protinus edicet, quibus id ſcire par eſt, lethale imminere ſoboli diſcrimen, nec matrem adeò extra diſcrimen poſitam eſſe, moxque vel ipſa oleo delibutam manum blandè in vaginam uteri demittet, fœtumque, levi corpuſculi impulſu, naturalem ad ſitum prudenter diſponere conabitur. Vel Medicum, rebus diffiſa ſuis, ſtatim non conſilio minus quam manu promptum accerſendum præmoneat, ne, per validum expultricis conatum hypogaſtrii anguſtiis impacta prole, irritus in mora labor evadat. Imo ne mor-

 tuo

tuo quidem fœtu, modò genitrix extreme confecta non ſit, inutilis manus opera fuerit. Ea enim cum in vaginam matricis perduci poteſt, pedibus infans comprehenſus facile protrahitur, neque opus eſt, horrida illa per manum partium laceratione. Nec tamen, utcunque hoc bene ſuccedat, in tutô ſemper genitricis ſalus eſt. Bis enim notavi, cum uteri vagina ſecundum latus dextrum eſſet disrupta, quamvis fœtus extinctus integre cum ſecundinis educeretur, ſubſequente ex laceratis hypogaſtricis vaſis enormi ſanguinis profluvio, matrem paulo poſt fato pariter ceſſiſſe. De ſellæ quam adumbras conformatione amplector judicium tuum: quamvis cum non coccyx tantum, ſed totum os ſacrum, quin & adjunctum os anonymum, anterius & juxta latera, laxatis ligamentis diducatur, utiliſſimum fuerit, parturientem in enixu monere, ut cubito innixa utrique corpus è ſella nonnihil attollat. Habes Vir doctiſſime, quæ per occupationes calamo meo ſuccedere potuerunt: è quibus ſi quid in publicum redundarit commodum, erit de quo ſeriò gaudeam, mihique gratuler. Vale feliciter. Scripſi Patavii 20. Februarii 1647.

XLVI. *Con-*

XLVI.

Conſilium pro Nobiliſſ. Piſaurenſi. De tumore genu.

IN tumore totius genu ſteatomati ſimili, præmiſſis præmitt: ſuaſimus decoctum vel infuſionem rad: iridis, ſcrophulariæ, herb. aſteris, cervicariæ, virgæ aureæ. Exterius emplaſt. Vigonis de ranis, ſpir. ſalis dulcem, aut ſal Tartari volatile aq. ſcrophulariæ ſolutum, quæ in hac urbe à Viris peritiſs. parari poteſt. Improbavimus apertionem per cauterium: quia materia ſub genu intra max: nervos ſparſa, & ſupra cum folliculo educi ea ratione non poteſt: materia ob dolorem in orgaſmum rapitur, affluxu augetur: ulcus remanet, vel fiſtula incurabilis.

XLVII.

D. Joan. Chriſtoph. Pfötero M. D. Monachij. De magn. calc. proventu.

SAnè rem aliquid obtinere divini Tibi perſuaſum eſſe ſcribes, quia calculi diſſimiles iis qui ſectione prævia extrahuntur, quia per canalem anguſtum & ſine cruciatu excreti fuere. Ego, ſi τῶ θείω nomen, non pro

occulto ambientis, rerumque hominem ſu-ſtentantium vitio cum Hippoc. acceperis, ſed pro effectu mirabili, & cujus cauſæ non adeò obviæ nobis ſunt, facile tecum ſentio. Non tam quod per decennis pueri urethram, abſque magno dolore, compulſi calculi ſunt, cum ſatis cognitum habeam, quid aſperitate carentes calculi in ureteribus & urinario meatu, ſæpe tranſeuntium lapillorum impetu diductis, efficiant. Neque etiam quia inſolens illarum forma. Memini enim, diſſectis renibus ac veſica, planè ſimiles in cadaveribus mihi compertos fuiſſe, ut & nuper in corpore Comitis Arundellii, Magni Angliæ Mareſchalli. Sed quoniam exigui temporis decurſu, tantorum tamque inſignis copia excluſa fuit, quibus, citra extremum Iſchuriæ periculum, continendis vix ea ætate par eſſe veſica queat. Cogito tamen, quotieſcunque veſicam principium ſemineum petrificum, idque validum viribus, penitius inſedit; fieri poſſe, ut, quum abunde materia ſuppetit, celeriter & confertim producat, quod tardè alioquin & languidè perficit. Dn. Joh. Sturmium Pharmacopœum vidi perlibenter, cui, ubi ſe cunque occaſio dederit, operam conſiliumque meum obtuli. Vale feliciter. Patav. VI. Jul. 1647.

XLVIII. *Præ-*

XLVIII.

Præſtantiſſimo Mauritio Hoffmanno.
De pure viſcerum.

OPtime facis, mi Hoffmanne, quod affectus in Te mei fiducia uteris & præclaris ſimul induſtriæ tuæ argumentis conceptam virtutis æſtimationem non ſartam ſolùm tectamque tueris, ſed etiam ſeriò confirmas & exauges. Caſum literis tuis conjunctum libenter expendi, gravem profectò, & in quo, hoſti ſuo jugulum præbente Natura, non miror inanem quoque fuiſſe ſalutaris ſcientiæ operam. Verè Theocritus:

—— μοίραισιν ἀναλθέα φάρμακα πάντα.

Exiſtimo autem, generoſ. adoleſcentem privato renis ac veſicæ, tum pulmonum vitio morbum contraxiſſe, nativo partium harum calido, ſubminiſtratum alimentum, non in ſimilem ſubjecto ſuo ſubſtantiam, ſed lentum atque acre excrementum pervertente. Frequens id in calculoſis, interdum & calculo carentibus accidit. Subſecuta deinceps, corroſis membranoſis carnoſisque partibus, exulceratio, quæ haud dubiè ab Hornhuſenſium aquarum potu plurimùm aucta fuit. Quæris præcipuè ac primò, num, ſalvâ Harveji hypo-

theſi, materia cum urina excreta à capite & ventriculo ad renes delata fuerit? deinde, exulceratorum viſcerum pus an fœtor neceſſariò comitetur? In primo nullum concipio ſignum, quod in præſcripto morbo tale quid contigerit; fieri id aliàs poſſe, atque etiam rebus Harveji firmis, facile concedam. Neque enim ex eorum claſſe ſum, qui mirabiles, quas Natura ſubinde molitur, corporum ſolidorum pariter atque humorum metaſtaſes venis arteriisque mediantibus tantum perfici contendunt, cum fibrarum etiam inter partes diſtantiſſimas continuitas & meatuum præter vaſa communia multitudo abunde ad σύῤῥοιαν πάντων facere queat. In altero ſeriò nego, fœdum perpetuò eſſe pus quod viſcera ſuppeditant, quamvis enim in nativi calidi labe inſigni id fieri amet; attamen, quemadmodum ἐν ἐλλείψει τοῦ ἐκπυητικοῦ θερμοῦ ingens pro corporum varietate diſcrimen occurrit; ſic etiam in puris tum odore tum qualitatibus reliquis magna diverſitas. Mihi praxi Medicâ jam compertum eſt, collectum in utero, inteſtinis, rene utroque, pulmonibus ac cerebro pus album, purum, non βορβορῶδες ἢ δυσῶδες fluxiſſe. Hiſce Vale feliciter. Patav. VII Jul. Anno 1647.

XLIX. *Illu-*

XLIX.

Illuſtriſſimo Epiſc. Tomaſino. De Anatomicis.

PRiſcis ſeculis Herophilus, Eraſiſtratus & Galenus ipſi tum cadavera ſecarunt, tum naturam uſumque partium diſcipulos docuerunt. Subſequente ævo, quia pauci Medicorum adminiſtrationum Anatomic. periti, diviſa fuerunt officia, ſic ut diſſector alter eſſet, alter verò lector ſive Doctor Anatomicus. Diſſectores plerique Chirurgi fuerunt, quorum præcipuè intererat in defunctis diſcere, quæ ſalutari manu in viventibus moliri debebant. Viget in Galliæ aliquot Academiis etiamnum hic mos: atque ante Veſalium Patavii quoque receptus fuit. Certum eſt, Fabricium Aquapendentem diſſectoris munere primò perfunctum, cum docendi uſu nondum adeò profeciſſet. Lectorem habuit Hieron. Capivaccium Philoſoph. & Med. Clariſſimum. Ipſum quoque Franciſcum Piccolomineum, Philoſophum inſignem, anatomica docuiſſe, abundè ſcripta ejus oſtendunt. Cæterum, quia multa docentes fugiebant, quæ perita diſſectio patefaciebat, nec diſſectores docentium ordini naturalem partium apparatum ſubjicere

Digitized by Google

poſſent; denuò officium hoc, magno ſtudioſorum fructu, uni tum doctrina, tum praxi anatomica præſtanti Viro commiſſum eſt, qui præmiſſa partium curioſa diſſectione, ſingularum deinde, prout ſeſe conſpectui offerunt, naturam functionesque declararet.

L.

Ad D. Joh. Georg. Volckamerum Norib. De Obſtetricum erroribus.

QUemadmodum piaculare ſane facinus, gravidam nondum maturo partu ad fœtus enixum compellare; ſic prudentis obſtetricis eſt, partu jam inſtante, fœtuque ad extrema vaginæ matricis converſo, adeoque expultricis conatu inſurgente, pavidam mulierem & agendorum ignaram verbis excitare, atque ad opus naturæ promovendum adhortari. Tunc verò ſecundinis intus ruptis aquæ primum excernuntur, ſubſequente deinde fœtu: nonnunquam expultrice languidius agente, ſecundinæ diutius integræ permanent, & veſicæ inſtar aqua tumentis circa pudenda genitricis obhærent. Quo in caſu rectè ab obſtetrice rumpuntur, ut prodeuntibus aquis faci-

facilior fœtus expulſio conſequatur, felici eventu rem abunde comprobante. Baſſana noſtra, obſtetrix Patavina in muliere, cui parturienti aderam, admoto ſacchari acuminato fragmento, exitum aquis parabat, quibus paulò poſt infans ſuccedebat. Sanguinis miſſionem ſub extremum partus tempus imperatam omninò deteſtor, niſi vel inſignis plethora ſanguinisque motus præpoſterus, vel ſingularis in veſtratibus naturæ proprietas facinus excuſet. Memini aliquas è plebe, inſtante ferè partu, enormi ſanguinis per vaginam uteri fluxu vitâ defunctas fuiſſe: quibus providè inſtituta phlebotomia forſan ſuccurri potuiſſet. De memorabili corrupti fœtus hiſtoria gratias agô ſingulares, agnoſcoque concepiſſe ante mulierem, quam orificium uteri vaginæ membranæ annatum fuit, aliàs jam bis obſervaſſem ab effuſo intra tunicas vaginæ ſanguine, in partu difficili pudendi labrum ingenti tumore diſtentum fuiſſe, quo aperto, ſanguineque atro paulatim evacuato, mulieres evaſere. Vale. 8. Auguſti 1747.

L I.

De Statu oculorum Illuſt. Baronis à Degenfeldii.

 Jam

JAm quatuor exacti menſes, cum Nobiliſs. Baro Degenfeldius, annorum novendecim, temperamenti humidioris & calidi, prope Oranum Dalmatiæ oppidum ſclopeto manuali graviter ſauciaretur. Intravit globulus ſub orbita media oculi dextri, perfractoque naſi meditullio, ſub orbita oculi ſiniſtri paulò humilius erumpebat, lacerata ad angulum internum palpebra. Senſit in momento oculum utrumque violenter ſibi inverti, moxque ſubortis tenebris, quamvis tunicæ ſenſibiliter læſæ non eſſent, viſum penitus amiſit. Jaderam delatus, à Medicis & Chirurgis, ut ex eorum ſcripto conſtat, ſingulari ſolicitudine exceptus fuit, qui ſanguinem per vices miſerunt, blanda purgantia, victumque tenuem præſcripſerunt; oculo repellentia modica, mox leniter diſcutientia. Vulnus ipſum decenter tractatum intra paucas ſeptimanas, expulſis aliquot oſſium ſquamis, penitus coaluit. Patavium ad Nob. Domini matrem delato ægro, Viri Clariſs. Dn. Bened. Sylvaticus Pract. Profeſs. primar. tum D. Joh. Veſlingius Anat. & Phil. Profeſs. prim. loci, tum D. Petrus Marchettus, in conſilium adhibiti fuerunt. Obſervarunt oculi utriusque palpebras, ab affluxu tenuis pituitæ tumentes, leviterque ſine doloris

ſenſu

ſenſu rubentes, quarum ſiniſtra prope angulum internum plurimum relaxata propendebat. Oculi detecti emaciati collapſique videbantur, albo ipſorum partim rubente, partim liveſcente. Pupilla dextri, rupta intus uvea tunica, tota albeſcebat: Siniſtri & ipſa turbida, ad angulum tamen externum clarior apparebat. Statuerunt, damnum præſens à diſploſo oculorum inſito ſpiritu & calore dependere, ni globuli ſubter irrumpentis, flammeique vaporis vehementer oculos affligentis, quæ tum ruptura mollium intus membranarum, tum humorum perturbatio atque incraſſatio conſequi poteſt. Non absque ſuſpicione oculos infernè à globulo perforatos fuiſſe: adeoque humoris vitrei aliquam portionem, vel ſaltem aquei, per vulnus effluxiſſe, quod ſclerotidis tunicæ partem humiliorem diu lividam, collapſam ac veluti fovea concavam cernerent, plumbei coloris ſcobe centrum ſinus occupante &c. Progreſſum tandem ad magiſteria varia è Stibio parata, ad ſpiritus eximiè penetrantes, ſaliaque ex viperis & humano ſanguine Hermetico ſtudio prolicita. Quibus tamen omnibus circumſpectè adhibitis, nihil amplius profici potuit: jamque oculi, ſuperfluis quibus ſcatebant humoribus liberati,

berati, cryſtallini vitreique humoris incraſſationem, tum utriusque mutatum naturalem ſitum, manifeſtius quam ante peritorum hominum viſui patefaciunt. De eventu rogati, rem in oculo dextro conclamatam eſſe pronunciarunt: in ſiniſtro, utpote paulò minus affecto, ſpem utcunque tenuem recuperandi ex parte viſus reſidere. Quare, cum fluxum humorum in oculos etiamnum perſeverare animadverterent, ſuaſerunt denuò blandam corporis evacuationem, ſanguinis per ſcarificatum eductionem, ſetaceum cervici inducendum. Et quamvis ad remediorum uſum peſſimè diſpoſitus ventriculus ſit; pilulas tamen aloëticas hebdomatim aſſumendas, tum conſervas, caput oculosque roborantes, commendarunt. Victus quoque rationem, condimentum, ſal, vinum panemque medicatum, pari prudentia præſcripſerunt. Oculo potiſſimum ſiniſtro varia adhibita fuêre topica remedia, blandè calorem nativum excitantia, leviterque detergentia, eaque partim aquarum partim pulviſculorum forma, quorum uſu lumen diurnum circa feneſtras rectius diſcernere cœpit. Inconſtans tamen hic progreſſus eſt, cùm inſtante pluvia capitisque ſupervenient dolore, quem etiam euphraſiæ aſſum-

aſſumtæ conſervam excitare dicit, obſcurior oculi ſiniſtri viſio fiat. Jam, cum auſtrinum plůviumque cœlum eſſet, ceſſante per ſetacci foramina humorum evacuatione, præcedente capitis dolore, fluxio in oculos, genas dentesque ingruit, aciemque videndi abſtulit. Nec deſtituendum tamen Illuſtriſſimum ægrum cenſent ſupra ſcripti Cl. Doctores, ſed repetito univerſalium ac particularium præſidiorum uſu ſuppetias naturæ ferendas, quæ in vegeto ætatis viriumque flore, ſæpè graviſſimis affectibus, ſupra ſpem Medicorum eluctatur. Anno 1647.

L I I.

An mola uteri queat eſſe tumor ejus?

AD molæ præſentiam inclinare video Excellentiſſimos Viros, adductos rationibus haud infirmis. Nihil obſtat tamen, quo minus perſuadear, uteri ipſius latus ſiniſtrum in tumorem ſcirrhoſum, utcunque non exquiſitum, eſſe ſublatum: quia viſcidus aterque ſanguis prius in ſubſtantiam ipſam uteri facilius diffunditur, quam ad res in utero contentas perveniat. Dolor, qui nunc intenſior

nunc

Digitized by Google

nunc remiſſior percipitur, non à mola immediatè ullâ, ſed membranoſis nerveisque partibus, vel pondere preſſis, vel diſtenſione violenta diſtractis, ſub tumoribus quoque frigidis ferè percipitur. Adeſt inæqualitas & renixus ad tactum inſignis, utrumque commune accidens tumorum, quos ater ac craſſus humor invexit. Amplum admodum tumorem eſſe credam. Nam talis ſæpe tum in uteri cavitate, tum ejusdem ſubſtantia deprehenſus. Decedebat in Xenodochio hujus urbis ante triennium mulier, à plerisque pro hydropica habita, cujus ſarcoma uteri fundo innatum libras quadraginta ponderis æquabat: cujus lien quoque ingenti tumore diſtentus erat. Exſcindebam menſe Octobre anni exacti ſteatoma, quod capitis humani magnitudinem ſuperabat, a vagina uteri propendens, bajulæ virginum clauſtralium S. Agathæ. Celeriter quoque tumor hujus generis augeri potuit, quoniam in conceptionis tempus calamitas incidit. Ab eo enim tum rareſcit paulatim uterus, tum laxior ob diſtenſionis neceſſitatem evadit, adeoque tunc omnis generis humoribus imbibendis aptiſſimus exiſtit, haud ſecus ac lien, quales nobilis ægra menſtruis intervallis excernit, quamvis vero ſimilius ſit,

non

non tam per uteri fundum, quam per vaginam ex hypogaſtricis vaſis colluviem ſupervacaneorum expelli. Neque contremiſcentia certum molæ reſiduæ, ſed languidi ſub expultrice debili conatus ſignum exiſtit; adeoque tam in puerperis, quam fœtum geſtantibus obſervatur.

L I I I.

D. Guilelmo Deichman. Circa promotionem publicam Gymnaſii Patavini.

ACcepiſſe Te meas, juxta cum adjunctis Illuſtriſſimi Procuratoris Univerſitatis noſtræ & Clariſs. Sylvatici literis, eò minus dubito, quo certior jam factus ſum ab Illuſtriſs. & Excellentiſſimo Legato Veneto, illas ad Te curatas fuiſſe. Itaque ſuperſediſſem præſentibus, niſi denuò XXVI. April. exaratis ad me literis, cum redditæ meæ nondum eſſent, idem quod prioribus petiiſſes. Etenim privilegii a Carolo Magno tanquam fundatore huic Gymnaſio conceſſa copia, ut aſſerunt Viri rerum Patavinarum peritiſſimi, nulla proſtat: Nec fundatorem illum Lycei noſtri fuiſſe, quemadmodum nec Fridericum Barbaroſſam,

roſſam, quamvis eximio favore illud quidem proſecutus fuit; utpote quod longè altioris originis eſſe vero maximè conſentaneum à me habitum fuit. Eugenius ſanè IV. Pontifex Patavinum ſtudium inter cætera Italiæ generalia ſtudia antiquiſſimum & celeberrimum eſſe conſtare ſcribit (in privilegio Anno cIↄ CCCC XL VIIII. conceſſo.) In privilegio item Clementis VI. Pontificis cIↄ CCC LXXVII. conſuetudinem creandi Doctores ac Magiſtros in urbe Patavina inviolabiliter obſervatam, tanto ab hinc tempore viguiſſe, ut de ejus contrario memoria non extet. Nec inficias tamen ire quisquam poteſt, niſi cujus animum vel ſtupor hebetavit, vel occæcavit invidia, rem tanta boni publici cum utilitate conjunctam, ab optimo quoque Imperatore Romanorum probatam ac ſummopere laudatam haud fuiſſe. Præſertim cum Patavium, utpote ab Antenore Trojani ſanguinis Principe ortum, Romanos ab Ænea & Aſcanio heroibus profectos veluti conſtanti amicoque fœdere eomplexa fuerit, cognatos ſuos perpetuo dilexerit, &, cum id res efflagitaret, adverſus hoſtes ſtrenuam iis operam navarit. Ipſi adeò Patavini cives ab S.P.Q.R. ſummis honoribus digni habiti, factique ſemper fuerint,

fuerint, ut clarè ſatis hiſtoriarum monumenta loquuntur. Quamvis mirum non ſit, haud exſtare vetuſtiora Imperatorum Principumque privilegia, cum ea in urbe aliquoties inimica manu diruta, incenſa & direpta, facillimè cum aliis nobilitatis ac antiquitatis ſuæ inſignibus aboleri potuerint. Quò procul dubio reſpiciens ſupra ſcriptus Eugenius ſummus Pontifex, in Privilegio ſuperius allegato; *Motu* (inquit) *proprio, non ad alicujus preces, omnia & ſingula privilegia, libertates, exemptiones, conceſſiones & indulta alia, eidem ſtudio tam per prædictos* (Urban. IV. & Clem. VI.) *& alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, quàm per Imperatores aut alios temporales Dominos hactenus conceſſa, quorum formas & tenores in præſentibus pro expreſſis haberi volumus, rata & grata habentes, illa autoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus, omnes & ſingulos, ſi qui intervenerint, defectus eodem motu atque autoritate ſupplentes.* Atque utcunque hæc non ſint, quæ certè veriſſima ſunt: quis, niſi manifeſto bonæ mentis deliquio correptus, hæſitet, laudatiſſimam pariter atque antiquiſſimam conſuetudinem, puta docendi Doctoresque creandi, optimæ adeò legis vim obtinentem,

 ſub

Digitized by Google

ſub regio Sereniſſimæ Reipubl. Venetæ nutu atque autoritate inviolabiliter hactenus propagatam ubicunque gentium Doctrina ſedem ceperit, amplectendam animique grati debito cultu venerandem eſſe. Vale præſtantiſſime Vir & æmulos invidosque eximia virtute, qua polles, vince. Patav. 26. Jul. Anno 1647.

L I V.

Ad Cl. Ovidium Montalbanum Bon. De Lap. Lucifero.

QUamvis haud reperiam cur Liceto noſtro magis quàm tibi calculum porrigam. Neque enim aliunde lapidis illa diſpoſitio concipiendi luminis, quàm à particulis ſulphuris calcinatione attenuatis, quas ex eo copiosè exhalare odor arguit, qui narium ſenſum confertim afficit. Has verò ob congeneam cum igne naturam, lumen ab ambiente lucido concipere idque conſervare poſſe, rationi maximè conſentaneum eſt, donec mutato loco, adeoque frigore & tenebris evocatas in ambitum particulas denſantibus ac repellentibus, imago luminis concepta deleatur. &c. 10. Octob. 1647.

Digitized by Google

L V.

Dn. Patri Athan. Kirchero.
De Caova.

CÆterum de Bon arboris fructu ejusque facultate, tum uſu, adhuc jucunda mihi memoria ſupereſt: cujus decocto, cum ægros viſitarem, ante Sorbet, ſuffitum aromaticum atque odoratæ aſperſionem, tanquam promulſide me ſæpiſſimè exceptum fuiſſe recordor. Vulgus & fructum & decoctum al Caova forſan à confortando nuncupabat, unde in peregrinorum ore Caova, al Caova, chaova, choube, cavè & catè nata nomina ſunt. Novi, recentiores botanographos fructum exiſtimare buncho Abenſinæ ſeu potius albonco. Non parum tamen me hæſitare facit, quod cum prius evidentiſſimè conſtet, autor tamen ex quorundam relatu, rem eſſe dicebat de radice concuſſa: quod ponderis levitatem probet, odoriſque ſuavitatem, quæ vel in optimo vix ulla: quod denique capiti turbas excitet. Huc enim ſpectant verba, quæ interpres Cremonenſis latinè (ut alia ſæpius) haud expreſſit. Pr. Alpinus *bon* Abenſinæ eſſe credit, quod cum hoc, ut noſti, vulgus confundit. At calor ille tertii ordinis in Caova

minimè eſt: non item infeſta ventriculo qualitas, validæque ſurſum ac deorſum purgandi virtutis in decocto veſtigium ullum, quod tantum abeſt ut torrefactio auferat, ut magis proferat. Neque olei, de quo tam multa Abenſina, ex fructu bon notitiam conſequi potui. Sed capiti ſtomachoque inimicas vires forſan valida exercitatio abſumit. Affertur in Ægyptum ex Jamin & Indiis quoque propinquis. Copiam enim tam vaſtam, vix plures provinciæ ſuppeditent. Paratur decoctum vel ex cortice, vel ex nucleo tantum, vel ex utrisque junctis: ceſſitque idem in emolumentum quoque capitis, quum non raro per δευτεροπάθειαν affici ſolet: quod publicè receptis omnibus tamen in clibano fortiter exſiccatis ac nonnihil torrefactis ut in pulverem deinceps contundi queant. Coctio fit in ahenis probè ſtanno obductis, furnisque in hunc uſum elegantiſſimè exſtructis, in quibus paſta ex fimo animantium paleisque ſubacta ignem alunt. Ad pulveris Uncias XVIII. aquæ Lib. XX. ut ferè minimum ſumuntur, atque ad denarum conſumtionem percoquuntur; quamvis & minus aquæ ſumunt qui craſſius, plus verò qui dilutius deſiderant. Neque opus hic percolatione ulla. Memini, cum honeſtiores

in

in diverſorio ſederent, ac forte tenuius decoctum eſſet, jam diſtribuendo liquori pulveris aliquid recentis admiſtum protinus fuiſſe. Hauriunt decocti Uncias X, XX. plures etiam ſine noxa ulla, bene etiamnum calidum ſorbillantes. Et quid hujus inſumere non credamus otioſorum hominum greges, qui nunc fumum Nicotianæ, nunc decoctum Caovæ reciprocando, integros dies in tabernis frangunt. De viribus hujus medicamenti abundè ſeſe Alpinus noſter explicavit: fateorque, non alio me præſidio ſtomachum, aquæ non aſſueta potione ſæpè languentem, reficere citius, vino deficiente, potuiſſe. De latente in Coava malignitate nec mihi neque aliis, qui diutiſſimè in Ægypto degerunt, ſuſpicio nata unquam fuit, adeoque nec de corrigentibus cogitatum. An autem in hoc fructu alibi producto virus quoddam ſeſe extulerit, nullo hactenus exemplo diſcere potui. Mittam cum ſtudioſo, qui proximè Romam profecturus, animadverſiones meas in Pr. Alp. de Plantis Ægypti, & Opobalſami veterum vindicias. Vale. 20. Febr. 1648.

Digitized by Google

L V I.

Pro Joſepho Amadore de Chalybe.

Cum Chalybs artificum metallurgorum omnium conſenſu ferrum ſit optimè depuratum; ſcoria verò ferri ſordes ejus & purgamentum ignis opera excoctum, earundem cum rubigine virium, minore tamen, ut Dioſcorides teſtatur, efficacia: Nos infra ſcripti celeberrimi Archigymnaſii Patavini publici Profeſſores ſeriò teſtamur, quotiescunque pro removendis uteri lienisque obſtructionibus è ferro medicamenta paranda ſunt, non impurum & ſordibus ſuis etiamnum permiſtum ferrum, ſed chalybem ſumendum eſſe. Quod ſi tamen apud Practicos, dum impropria locutione ſquamas chalybis aut limaturam innuere volunt, ſcoriarum chalybis mentio fit, prudentis doctique Pharmacopœi fuerit, non ſcoriam ullam ferri, quippe quam chalybs non habet, ſed ipſam chalybis ſquamam aut limaturam adoptare. Atque in veritatis aſſertionem hæc chirographo noſtro ac ſigillo meritò lubentesque confirmare voluimus.

LVII. *Ad*

Digitized by Google

L V I I.

Ad Clariſs. Gvarinonium. De Ductu Pancreatis.

BInis Tuis mihi gratiſſimis literis, à Seraphino Ignatio filio redditis, debitam reſponſi vicem ulterius non differo: quarum prioribus de transmiſſis primi chyloſophici tomi exemplaribus certiorem me facis; quæ apud me reſervo nunc donec mollis ſeſe dederit occaſio, ut Cl. promotoribus exhiberi queant, magnum haud dubiò ad conciliandam ſibi illorum benevolentiam Candidato noſtro momentum allatura. Nec manum tamen oculosque abſtinere potui, donec avidè perlegiſſem volumen totum: ea quidem animi voluptate, ut ſeriò mihi perſuaſerim, nihil vel ad excellentis ingenii normam exactius, vel ex Tullianæ facundiæ myrotheciis ſuavius elegantiusque ſub lepida dramatis imagine in publicam lucem expromi a Te potuiſſe: quamvis, cum operi pulcherrimo inductum nominis mei nævum agnoſcerem, non parum ambigerem, judicii tui amuſſim ſequi potius malueris, an amori, quo me conſtanter complecteris, largiri pluſculum. Quicquid fuit, nec ſpernere judicium debeo tuum, nec repu-

gnare affectui, in cujus ſpem bella omnia porro debellaturus ſum. Nimirum triſtis videri poterat antiquæ ſapientiæ ſtudioſis Chyloſophiæ ſapor; itaque temperare placuit aſpera, & muſeo contingere melle *quod* medentes olim feciſſe canit Lucretius:

—— —— pueris cum abſinthia tetra
dabantur. &c.

Johannes Georgius Wirſungus, de quo altera ſcribis epiſtola, natione Bavarus erat, induſtriæ eximiæ juvenis, qui ultra quinquennium anatomes amore incenſus diſſectionibus publicis occupato mihi ſtrenuè ſerviit. Cum forte jam citra corticem natanti pori biliarii præparatio ad ſolennem demonſtrationem committeretur, incidit in ductum, cujus ectypum amica manu donatum dudum vidiſti. Diverſum obſervas ab eo, quem ſyntagma noſtrum expromit, & fateor indiligenter, ſatisque ruditer elaboratum. Hoc tamen ſcire te par eſt, ſæpè ductum hunc porumque bilis naturam conjungere quo loco duodenum attingunt, tuncque communi oſtio, quamvis tenui valvula munito, inteſtinum aperiunt: nonnunquam diſtincta, licet exiguo intervallo, oſtia ſunt, cum porus biliariùs in pancreas ſemper excurrat, ductusque alter

ter extra pancreas non protendatur ob duodeni cum eo nexum. Eſt autem hic ductus vaſculum ſui generis, quemadmodum & biliarius meatus, quanquam ob tunicæ ſimplicitatem, ramulorumque tenuium in pancreas diſtributionem, venæ mediocris ſpecie tum mihi tum curioſis anteceſſoribus meis impoſuerit. Humorem continet flaveſcentem acrem, immiſſis ſpecillis argenteis maculam inurentem. At nec ductus hic, nec pancreas, in lienem verè inſeritur: cum ille intra pancreas obliteratis ramulis perpetuò terminatur: hoc verò per ligamentum validum, ſed breve quidem, lieni ſemper committitur, quod figuræ, ſcilicet rerum umbræ, ſatis exacte nunquam repræſentant. Pancreas cui uſui divina rerum magiſtra deſtinarit ultimò quæris? Sententiam ego meam in ſyntagmate edito dudum patefeci, quam publicis privatisque diſſectionibus confirmatus veritatis amore tueor. Tu Vir Clariſs. ſi quid noviſti rectius (iſtius Romani Lyrici monitu) candidus imperti, ſi non, his utere mecum, & in chyloſophiæ tuæ gratiam pugnantia reducere conare. Vale feliciter.

 LVIII. *Cla-*

L V I I I.

Clariſs. Mauritio Hoffmanno 14. Martii. 1649. De Lienis Actione.

NOlim, mi Hofmanne, religioſo mecum ſilentio potius agas, quàm literis. Nam, ut Petronii verba mutuer, nec divinus ego ſum nec Mathematicorum cœlum curo. Iraſci quidem tibi non potui. Brunnero tamen ſuccenſui, quum in manu ejus literas tuas viderem, in meà nullas. Habes forſan Patavii, quorum erga Te meritis cedere cogar, non habes obſervantia & affectu, quo Te nunc complector, atque amare porrò

Omnes ſum aſſiduè paratus annos.

De lienis actione jam ſententiam meam publicavi, quam vel eo lubentius retineo, quod in humano cadavere tum à Ventriculo, tum à Pancreate ad lienem porrectos chyliferos meatus obſervaverim, atque hoc etiam anno publicè ſtudioſis oſtenderim. Lienem ſanguini ad jecur eunti calcar addere tradis: quod vix agnoſco. Fertur amnis ad vitalem focum, etiam ubi nullæ ipſum arteriæ impellunt. Quamvis autem tum per canalem (quem tam in adultis quàm in embryone apertum reperio) tum per oſtiola juncta, perpetuò

petuò in cavæ ramos tranſeat; longè tamen major ejus pars, quia multi venæ portæ inſignesque rami cavæ propaginibus intra jecur nexi non ſunt, in parenchyma prius jecoris refunditur, quàm ad cor ulterius aſſurgat. Itaque moram aliquam neceſſario trahit, ut βραδέως σπεύδων nativam perfectionem nihilominus conſequatur. Ductum pancreatis humorem quendam aqueum effundere ſcribis, qui bilem virulentam diluat, aliterque ſentientes falſi & erroris condamnas. Tu verò, mi Hoffmanne, etiam atque circumſpice, an pedicis ipſe careas. Nam ut humorem aqueum per ductum illum expurgari prope conceſſerim; ita cauſam nullam video, præſertim ſi is à liene remeat, cur is acris adeoque facultate bili ſimilis eſſe nequeat. Turbarum à bile concitandarum quam habuerit rationem natura, tum in cyſti, tum in proximis inteſtinis, fugere non poteſt. Venulas à ramo ſplenico in Pancreas abire palam eſt; ſed quas ſanguinem ex eo revehere neceſſum eſt, ex arteriis in illud affuſum. Sed in uſu Pancreatis longius à me recedis. Agam de eo aliàs, aut rectiùs forſan in animadverſionibus, quas ad Enchiridium Riolani meditor. Libellus Fallopii de venis an alicubi apud vos extet,

Digitized by Google

extet, velim explores, ne fulmen in laureolam tuam incidat. Scribit enim in Enchiridio Riolanus, canales in Pancreate bile refertos, cumque venis nullo modo communicantes, à Fallopio inventos fuiſſe. Simile quid refert Aſellius; quamvis in obſervationibus Anatomicis illius nihil horum expreſſum videam. &c.

L I X.

De Succo Pancreatico. Ad Clariſſimum Job. Volckamerum.

SYntagmatis verſionem arbitrii tui facio: in tabulis & eorum indicibus quæ exactius exprimenda, vel ſtudioſe corrigenda ſint, monebo certior de tua voluntate factus. In uſu Canalis, quem Pancreas obtinet, dubitas an ſuccum expurget in animali ſano morbisque non confecto, acrem bilique non diſſimilem: exiſtimasque, redund.ntem in chylo humiditatem potius excerni. Riolanus Anatomicorum Phoſphorus (nempe artis anatomicæ lumine illuſtratum ſe ſcribit) ſorditiem jecoris, lienis vel ipſius chyli per canalem expurgari poſſe credit. Profectò ſuccum illum, ſive humiditatem (ut tecum loquar) in chylo nimiam, non

am, non ſimplicem eſſe aquam, ſed acrimoniæ participem; adeoque facultate ſibi ſimilem, præter experimentum particulare, illud me confirmavit, quod natura chylo in tranſitu per duodenum in jejunum protinus admiſceat bilem. Nimirum cavere voluit acri valideque abſtergente liquore, ne tenuiſſimorum ductuum membranulæ à commeantis materiæ lentore facilè incruſtarentur, ut ſic ſcribam, adeoque iter ipſum infarctu imminente præpediretur: quod ſeri cujusdam miſturâ te quoque obtinere velle conjicio. Si quid tenebrarum tibi ſupereſt, ſcribe ocyus & confidenter. Nam & mihi veritatis ſtudio hæc ipſa curioſius excutere jucundum eſt. Vale feliciter.

L X.

Joh. Dan. Horſtio, Darmſtad.
Dubia de ductus Pancreatis uſu.

CONjecturas humani ingenii de ductus Pancreatis uſu, literæ tuæ mihi abundè propoſuerunt: pondera tamen rationesque ſingularum requiro quibus fulciantur: quibus ſi carent, ut Sybillæ olim carmina foliis mandata, volitant ludibria ventis. Expurgari per

Digitized by Google

ri per illum acrem & facultate bili ſimilem ſuccum, in ſyntagmate nuper recuſo publicè docui. Nam & in Pancreate chylum ſæpè reperi, & in ejus ductu qualem innui ſuccum: quamvis in cadaveribus ferè vacuus deprehendatur. Qui fermentum in eo ventriculi ſervari contendunt, ſenſui primùm oculorum ſatisfaciant, dein cauſas memorent, cur nullus ductui cum ventriculo nexus: cur tam amplo orificio in duodeni finem exporrigatur. De ſero libenter conſentio, quod à chylo ſeparatur; ſaltem id acre, dilutoque ſale perfuſum eſſe concedant. Neque inficias ibo, ſupervacanea quædam lienis eadem hac via expurgari poſſe, cum meatus Pancreati lienique communes, fortuitò ab inhærente craſſiore materia obſtructos, dudum notaverim. Vale feliciter. 6. Maj. 1649.

L X I.

Ad Maurit. Hofmannum. De eodem Pancreatis uſu.

ME vero dudum in amorem cultumque Tui pertraxit eximia virtus, ſedulitas, eruditio, humanitas propria tibi cum paucis illis, quibus de meliore luto finxit præcordia Titan.

Digitized by Google

Titan. Auxit obſervantiam meam induſtria ſtudiumque perveſtigandi, quæ ſacro ſub velo diutius natura preſſit. Ut mihi jam non proclive ſed volupe ſit, tam honeſtos conatus tuos pro tenuitatis meæ modulo ulterius promovere. Meatus lieni & Pancreati communes, aquam lienis ad Pancreatis canalem derivare credis; quam è Pancreate ad lienem chylum. Mihi utrumque ſeriò perſuaſum eſt, easque ſecretas illas verasque vias eſſe, quibus e liene ad Pancreas & ventriculum ſupervacua natura expellat, quemadmodum de venis hactenus creditum fuit; tum etiam chylum ipſum ad lienem ordinario perducat officio. Tibi ſecus videtur, quia chylus ad Pancreas non feratur, ſed ad glandulas aliquot circa meſenterii medium collectas: & lien è duplici fonte chylum hauriret, & copioſiorem quàm jecur ſanguinem conficeret. At cogites, mi Hofmanne, aliam eſſe humani, tum meſenterii tum pancreatis conſtituitionem, aliam canini. In homine quidquid hactenus lacteorum ductuum agnovi, partim immediatè, quamvis raris parvisque ramis, ad Prancreas porrigit quà meſenterio inſiſtit, partim inter numeroſas glandulas, inſtituto veluti reticulato opere, ſurſum perducit, & ſub Pancreate, quâ

quà portam jecoris ſuſpicit, in communem plexum natura colligit, ſimilem illi, quem è nervis ad brachia dirimendis molitur. Hunc pollicis craſſitiem æquare nonnunquam vidi, licet inciſus ſtylos non admitteret; ab eoque tum per latera venæ portæ arteriæque cœliacæ dextræ, tum ultra portas ſurſum inſignes ramos porrigi, ut ad thymum cordis, & in lactantibus per latera diaphragmatis ad mammas, chyli portio diſtribuatur. Plexui iſti Pancreas in hoc ſe circumfundit, firmiterque innectit; quæ res effecit ut, doctrinæ ordinem aliquem ſecutus, à pancreate meatuum lacteorum originem, ſaltem extenſionis derivarim. In eo verò, cum recentia eſſent cadavera, cum chylum ipſum aliquoties deprehenderim, non dubitavi, eum tum è ductibus, tum è proximo duodeno allici potuiſſe. Lienem ex duplici fonte chyli aliquid haurire quid vetat? Hauriet enim quantum naturæ ſat eſt, & per meatus quidem minimè neque numero neque magnitudine comparandos iis, quos jecur ſuſcipit.

Cauſam motus in ſanguine præcipuam, cordis pulſum agnoſco: per quem cum ſingulis ſyſtolis exeat ex eo ſanguis, totidem diaſtolis ingredi poſtliminio cogitur, blando qui-

do quidem, ſed inevitabili Naturæ juſſu. Itaque decurrit ad vitæ metam ſanguis; quamvis aliunde nemo impellat; quamvis ab extremis corporis ſæpe refrigeratis calor eum non attrahat. Conſidera ſaphænam illam totque inſignes alias venas conjugibus arteriis carentes: expende lienis à jecore diſtantiam, arteriæ ſplenicæ cum venâ laxiorem nexum, exilitatem cœliacæ quam jecur admittit, jecoris ipſius mitem calorem; & præter anaſtomoſes canalem, vel ſolum facillime trajiciendo ſanguini ſufficientem.

Incipe quapropter novitate exterritus ipſâ
Expuere ex animo rationem —— ——

At chylum noſti ingeſtorum naturam & facultatem redolere nec ſimpliciter aqueum eſſe. Addo ego, per duodenum progredienti bilem ilicet miſceri, quod, monitus à Leonico meo, veriſſimum eſſe comperi. Scilicet admiſto acri illo humore facilem aliàs meatuum lacteorum obſtructionem Natura cavente. Juro tibi, cum ſupra duodenum inciſo Pancreatis ductu ſtylum aliquando immiſiſſem, tanquam ſtygia quadam aqua permaduiſſet, totum difficili delebili livore decoloratum fuiſſe. De frigiditate lienis non conſentit frequens in eo acidorum, liquorumque

N fer-

Digitized by Google

fermenti vim exſerentium, proventus (tanquam Hermetico ergaſteriolo) diverſa te docere poſſunt. Ex impreſſis Francofurti Fallopii operibus quæ affers nota mihi ſunt. Is verò in ſchol. Anatom. ſect. 4. Libellum citat Fallop. de venis, ab obſerv. diſtinctum, & Riol. in Enchirid. c. de pancr. l. 2. hæc ſcribit: Sic Fallopius canales invenit in Pancreate nullo modo cum venis communicantes, qui bile referti ipſam deponunt in inteſtina. Quantum conjicio, homo ingenioſus clanculum Virſungo invidet. Canales vocat, quos Fallopius parvos meatus eosque nullo modo cum venis communicantes, & ad inteſtina ſuccum incluſum deferentes. Sed horum utrumque, ni fallor, de ſuo nobis largitur. Fruſtra! De transmiſſo ſchemate obſerv. in equino ventre, gratias habeo maximas. Vermes in arteriis deprehendi rariſſimum arbitror, neque inde tamen Riolanus conficiet, ſanguinem in illis contentum circulationis beneficio privari. Tu, mi Hofmanne, hiſce vale feliciter. X. Maj. 1649.

LXII. *Ad*

L X I I.

Ad Clariſs. Joh. Dan. Horſtium.
Dubium de fermento coctionis ubi reſideat.

GAudeo plurimum, quod habuerim quo placere potui; magis tamen exoptem, quo prodeſſe Tibi & fratri queam, in quo voto ſi propenſæ voluntati par facultas non ſuppetit, agnoſce ſaltem conatum. Ubi reſideat ſerveturque fermentum coctionis, rogas. Mihi verò interius hoc naturæ ſacrarium non patet in veſtibulo ejusdem hærenti: Si non faſtidis tamen humanæ mentis conjecturam, ventriculum ejusque tunicas fermento illo naturaliter imbutas eſſe dixerim; ſervari autem partim à relicto in eo cibi fermentati madore; partim è liene recepto acri liquore, non per venas arteriasque breves; ſed ductus ſingulares dudum mihi notatos, lieni & ventriculo pro neceſſariorum διαδόσει communes, quos & fratri tuo, ni fallor, oſtendi, adeoque par canalem pancreatis ſucci illius ad ventriculum recurſu opus non videri. &c.

 LXIII. De

Digitized by Google

LXIII.

De Opobalſamo.
Clariſſimo Viro Dn. Baldo Baldi.

GRatias, fateor, ſingulares Præſtantiſſimo Naudæo debeo, quod viam ad amicitiam tuam ſternere mihi voluerit, atque aperire princeps. Vellem tamen auſpicio eandem meliore potius muniviſſet, quam per impolitum illud, Muſarumque corculis parum dignum opuſculum. De Balſamo commotam à Pharmacopolis litem facilè forſan componerem, ſi tam in poteſtate mea foret affectus eorum corrigere, quam aſſerere veritatem. Nam, quod celebre hoc medicamentum in Orientali Provincia reperiri inficias eunt, inſcitiæ ipſorum condonandum fuerit. Mihi, ultra quinquennium Memphi Ægyptiorum olim degenti, ſingulis annis id conſpectum fuit, redeuntibus è Meccâ & Medinâ indigenis, conſtanti omnium ſermone non alibi, ſed dictis in locis paratum eſſe atque emptum, quod ſecum attulerant. Quibus vel eò libentius fidem adhibui, quum & frondes ſecum, & fructus Balſami deferrent, non externo minus habitu, quam viribus deſcriptioni Clariſſimorum veterum convenientia. Non ejuſdem

dem equidem conditionis erat, quod communi Balſami nomine venditabant; nam ad Ægypti Proregem militumve Præfectum quod mittebatur, tenacius obſervavi, odore ſuavius, colore ex citrino albicans, quantitate exiguum. Reliquum ut copioſius, ita pretio parabilius, idque cum æſtimatione, tum bonitate rurſus diverſum. Nam vel purius erat, atque ex plantæ ramis fructibusque ignis opera elicitum, priori tamen & ſyſtaſi, & odoris fragrantiâ & virium pariter incolumitate cognatum, quo in dyſpnœa pulmonumque putredine, tum dyſuria & vulneribus optimo ſucceſſu uſus ſum: vel Terebinthinâ ſimilibusque reſinoſis plus aut minus permiſtum, cujus major longe proventus. Nec mirum id mihi viſum, cum Theophraſti quoque ævo ἐν ἑλλάδι πολλάκις κεκραμένον, in Græcia ſæpius permiſtum deprehenderetur. Quod veſtris Opobalſami nomine Venetiis transmiſſum eſt, ſi quidem Cairum aut Alexandriam ex Arabia delatum ſerio conſtet, non temere Pharmacopolis rejiciendum fuerit. Nam colorem quod in eo flavum requirunt, pauci momenti eſt, cùm niſi propinquum ſenectuti Balſamum eo non imbuatur. Odor utique ſi promiſſam ipſis ſuavitatem haud aſpiret,

 ſciant

ſciant vel in optimo præcipere veteres, ut ſit, εὔτονον τῇ ὀσμῇ, odore valens, εὔοσμον ἢ εὐώδες, qua voce non jucunditatem minus odoris, quam vigorem exprimunt. Redolet verò Terebinthinam etiam pretioſiſſimum Balſamum, quemadmodum & cortex plantæ interior, & fructus; quamvis in illo gratior halitus percipiatur. Lac non niſi debiliter coagulat; imò ne hoc quidem præſtiterit, niſi recens, niſi ſpiritu etiamnum acidulo prægnans fuerit. Laneis quoque pannis, nec profundius inſidentem, nec diffundentem ſeſe, maculam imprimit. Hoc enim, ut alteri proprium eſt, ita ſincero Balſamo non competere, antiquitus rectè conſtitutum fuit. Atque ut paucis concludam, Balſamum ex Arabia felici in Ægyptum delatum, atque hinc Venetias, ſi nondum vetuſtate colore pallido, citrino, aureo, odore non inſuave, facile ſolubile, linguam clementer mordicans, quantumvis optimi illius notas ad unguem omnes haud ferret, in Theriacæ tamen compoſitionem potius admittendum cenſeo, quam eliſum Muſcatæ nuci aut caryophyllis oleum, temperamenti calore longius exorbitans. Tantum eſt, Vir Clariſſime, quod per varias occupationes gratiſſimis literis tuis reddere

licet.

Digitized by Google

licet. Tu Vale feliciter, & cum Naudæo noſtro plurimum ſalve. Patavii 28. Octobr. A. S. 1639.

L X I V.

De Eodem. Perilluſtri & Excellentiſſimo Viro Dn. Baldo Baldi.

HAbui tandem à Clariſſimo Tomaſino, quem proximis ſpondebas litteris, Balſami liquorem: cognovique, ſimul atque odorem hauſi, illum ipſum eſſe, quem in Ægypto Venetis noſtris reduces ex Arabia mercatores venum exhibent, hoc præcipuè τεκμηρίῳ puritatem ejus aſſerentes, quod aquæ indita guttula protinus in pelliculam ſeſe explicat, iterumque, ſtyli cuſpide commota, colligi tota queat, ob tenuiſſimi ſpiritus deliquium pallidior. certi reliquas indolis notas ætate plus minusve provectâ facilius obſcurari. Quibus eò libentius ſuffragatum ivi, quo major ſucco cum recentis Carpobalſami ſapore & odore cognatio fuit, in quo, ut cum Hermeticis loquar, τὸ ἔμφυτον θεῖον evidentius ſenſuum fidem provocat. Igitur, quamvis tranſmiſſus mihi Balſami liquor ſpontaneæ con-

cretionis lacrymam ſuavitate non referat, quocunque tamen artificio ſit elicitus, legitimum Balſami antiquitus cogniti ſuccum, adeoque Opobalſamum judico, etiamnum Arabibus, Ægyptiisque Dohon Balſam, unguem Balſami dictum. Vellem plura, niſi publicum Anatomes officium, cui totus obſtringor, ſermonis prolixioris pauſam imperaret. Vale feliciter, Vir optime, & amorem abſenti conſerva. Dedi Patavii XIX. Januar. A. S. M. DC. XL.

L X V.

De ejusdem Opobalſami odore.
Ad Perilluſtrem & Excellentiſs. Virum D. Baldum Baldi.

SCripſit ad me Reidſius noſter, lectisſimus juvenis, quibus lacertis ſententiam meam oppugnarit adverſarius tuus, quam, veri ſtudio, de Opobalſamo lubens meritoque tuleram. Hæſitavi, fateor, Vir Excellentiſſime, de fronte minus hominis conſtaret, an de ſenſu; adeò tenuia nobis cum modeſtiæ, tum diligentiæ veſtigia paſſim adumbrat: quamvis mirum haud mihi videatur, quoniam igno-

Digitized by Google

ignotus ipſi ſum, parum penſi habuiſſe, quid genus meum, quid ordinem deceat, atque affectuum alienorum modulo me quoque metiri voluiſſe. Retuli in obſervationibus meis ad Alpinum, quod copioſius in Ægyptum ex Arabia defertur Balſamum, odoris ſuavitate gratum eſſe. Revera enim miſturam thuris ac terebinthinæ redolet, quorum utrumque nec mihi, nec aliis, quibus olfactus vitiatus non eſt, halitu injucundum eſt. Hanc in transmiſſo abs te balſamo ſeriò deprehendi, nec imponet mihi contrarium naſutus ullus, quo minus id odora ſuavitate gratum judicem, quamvis non deſint, quæ majore ſeſe fragrantia commendent. Quid porrò, ex unico tantum ſigno transmiſſum liquorem pronuntiavi opobalſamum? nunquam ego, nec uſpiam. In reſponſione ad Te mea, quid mercatorum vulgus faceret, paucis innui; mihi verò alia ſemper mens fuit, & ſuccum hunc nullo aſſerendum calculo duxi, quotieſcunque de natali ejusdem ſolo, de habitudine, atque, ut in Epiſtola ſubjunxi, de ſaporis odoriſque cognatione cum recenti carpobalſamo ſatis haud conſtitit. Sed & fidem meam ſuſpectam reddit, tanquam precibus aliorum, aut gratiæ tuæ ſententiam largitus fue-

 rim;

BIBLIOTECA FACULTA
Digitized by Google

rim; fruſtra. Poſtulaſti, Vir optime, pro amicitiæ noſtræ jure, ut liberè proferrem, quæ de liquore ſentirem: feci igitur, quod debui, & veritati ſuffragatum ivi, quamvis in ejus diſcrimine nullum mihi diſcrimen eſſet; dudum à philoſopho doctus, rebus amicorum ſalvis ὅσιον εἶναι προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. Iterum ecce teſtor, & confidenter aſſevero, opobalſamum, quod per Cl. D. Thomaſinum mihi transmiſiſti, eſſe illud ipſum, quod quinquennio, dum in Memphi Ægyptiorum degi, frequenter ex Arabia felici delatum conſpexi, quoque ipſe variis in morbis feliciter uſus ſum. Attulit hoc ipſum Cairo emptum Venetias D. Coſmus Nigronius, Venetorum ad Ægypti Proregem Legatorum ſupra annos viginti pharmacopola, Vir & artis materiæque medicæ peritiſſimus, & integritate vitæ cognitiſſimus. Quæ ſi non ſatis faciunt antagoniſtæ, jubeas eum navigare prius Anticyras, hinc Alexandriam, ut rem potius ipſam inveſtiget, quam ratiunculas venetur ſolido fundamento deſtitutas. Vale feliciter, & amorem abſenti conſerva. Dedi Patav. Prid. Kal. Dec. 1640.

LXVI. *De*

L X V I.

De Seminis ex Cambio generatione. *Ad Fortunium Licetum.*

QUæ ex ſecundo capite libri tui de perfecta conſtitutione hominis in utero legentem retardarunt, judicium illud tuum τηλαυγὲς ſummiſſa cum obſervantia requirunt. Dubium enim, an Cambium, in particularum omnium nutritione abundans, per renes ad teſtes feratur, ut ob temperamenti, qua partes æmulatur, ſimilitudinem, ſemen elaboretur aptum ad partium ſimilium conſtitutionem. Quia Cambium non rore tantum, ſed glutine craſſius, maximè in oſſibus & ligamentis, non poteſt remeare in venas illas τριχοειδῆς. & Oſſa ampliſſima, uti femur & humerus, vix evidentes habent venas; quorum tamen apophyſes omnes egregiè exprimit opifex. Aurium oſſicula protinus à partu non amplius creſcentia, labyrinthi item & reliquarum cavitatum innumerabiles ſpecus, nulla accedit vena: omnes tamen, ſervato temperamento, magnitudine, ſitu, cuniculorum flexu, idem efformat Phidias. Cambium illud numquid & in arterias ingreditur? at earum officium, & verſus extrema corporis pau-

ris paucitas id non admittit. Sanguinis & Cambii intra easdem venas oppoſiti motus, & ex illis eodem tempore, ne quidem in meſenterii vaſis adminiſtratur Natura. Sanguini denuo remixtum Cambium in longo ab extremis itinere nōn ſervabit temperamenti partium modum: minimè omnium dum intra varicoſos flexus & capſulam multiplici alterationi ſubjectum, in ſemen convertitur. Formatrix ex æquivoco ſemine, ſcilicet quod ex ultimo partium alimento non decerptum, producit animal temperamento & conformatione particularum omnium alteri ſimillimum. Igitur non opus alimenti ultimi παλινδρομῇ. In venis & arteriis ſpermaticis ad teſtes usque ſanguis deprehenditur, & is quidem admodum dilutus & ſeroſus. Tantillum ad formicæ majoris conſtitutionem neceſſarium, quis credat, à tantæ molis particulis omnibus delibari? Igitur non materiæ apparatus, ſed artificis ſolertia hic ſuſpicienda: qui ex materia, teſtium vi diſpoſita, efformare poteſt id, quod nec ratio ſatis, nec ars ulla comprehendit. Ariſtoteles ſane ultimum illud alimentum ſanguinem pronunciat, 4 de gen. an. c. 1. ejusque receptaculum conſtituit venas: ἡ τροφὴ ἐσχάτη αἷμα: τὸ δὲ ἀγγεῖον

ἡ φλή-

ἢ φλήβη. neutrum autem proprie in Cambio expetit. Ratio, quod effreni Venere ſe conficientes tandem ſanguinem fundant, non probat illud de Cambio, ſed magis ſuſpectum reddit. Ex oculorum muſculis & membranis ſubducta Cambii portiuncula, & has ipſas partes, & humorem vitreum, & cryſtallinum, & fuliginem choroidi ſubjectam, aliaque tam varia, tam mira, fieri neceſſario debere: facile redarguit natus oculatiſſimus ex utroque parente cæco. Cæterum ἅλις δηνὸς dixeris, nec immerito hic tricari tibi videor, qui aculeo nimis forſan anxius, melioribus occupationibus tuis injuriam facio. Tuæ fuerit humanitatis, excutere hoſce ſcrupos; & expeditiori pede pergam deinceps ad reliqua. Vale feliciter.

LXVII.

De eadem ſeminis ex Cambio generatione.

Ad Fortunium Licetum.

Diu eſt, Cl. & Excellentiſs. Vir, quod levidenſe hoc ſermonis officium Tibi debeo; cujus humanitati, quamvis redhoſti-

men-

mentum præſtare poſſem, obſtrictum me tamen devinctumque profiteor. Exceperunt ab itinere reducem cum publici tum privati labores, calamoque vim inferre potuit confertum occupationum agmen; non affectus, quem tantum abeſt, ut locorum inter nos diſtantia attenuarit, ut ſuffectis potius fomentis indies magis uberaverit. Admovi iterum oculos gratiſſimo reſponſo tuo, quod de ſeminis ex cambio generatione dudum benignè mihi tuliſti. Quod animum veritatis avidum nondum ſatiaverit, paucis judicio tuo ſubjicere iterum malui, quam inconſulta hæſitatione diutius premere. Cambii partes tenuiores in venas redire poſſe ſtatui. At illæ, relictis quibus erant permiſtæ craſſioribus, non exprimunt amplius partium ſeu membrorum, quibus deſtinatæ fuerunt, temperiem: hæc enim partium tenuiorum, craſſiorum, mediæque conditionis omnium συγκαλίαν exigit. Manifeſtum hoc ex Hermetica miſti ſolutione, in cujus vel phlegmate, vel ſpiritu fruſtra quis univerſi temperamentum requirit. Item in extractis chimicorum atque eſſentiis obtinet. Aurium oſſicula, à partu mollia, cartilaginea, multoque muco turgida eſſe ſcribis. Vellem, Cl. Licete, fideliter hoc ſenſus potius

tius

Digitized by Google

tius oſtenderet, quam ſuaderet ratio; mihi in nonimeſtri fœtu ſæpius oſſicula illa contemplanti, nunquam talia ſeſe exhibuerunt; ſed ſolida firmaque compage, flexum negantia, nec muco ullo, niſi præter naturam illapſo forſan, turgida. Tympani quoque cavitatem ipſam, & labyrinthum, cochleæque flexus, cum prædictis oſſiculis eadem pluries magnitudine in nonimeſtri fœtu obſervavi, qua in confirmata hominis ætate ſeſe offerunt. Ab his itaque partibus, in adoleſcentiæ flore, ſenii rigorem obtinentibus, non eſt quod abundantis cambii portionem ad ſeminis generationem accerſas. Arteriæ, inquis, dum in fine diaſtoles hiant, & initio ſyſtoles ſe contrahunt, quaſi quodam ſuctu cambii partem trahunt. Hoc ſanè locum haberet, ſi motus arteriarum ad ſimplicem receptionem comparatus eſſet: Nunc recipitur diaſtole ſanguis, ut protinus expellatur; Ut remeare neceſſe ſit etiam in ſyſtolis principio quicquid vel cambii, vel alterius ſucci, oſculis hiantibus ſeſe inſinuarat. Poſſe Naturam nullo negotio tunicis vaſorum dilatatis, per eosdem ductus ſanguinem & cambium oppoſitis motibus agere, perſuaſum tibi eſt. Mihi id præcipuè demonſtratione indigere videtur; nam in humano

mano

Digitized by Google

mano corpore tale quid fieri, nondum aut ratio detexit, aut patefecit ſenſus. Sed vacuis venulis regurgitare poſſe cambium arbitraris. At nec vacuas unquam venas eſſe compertum habeo, nec ſanguinem in eis unquam otioſe quieſcere vero ſimilius exiſtimo. Nam ut continuus eſt in homine calidi humidique effluxus; ſic continuus pariter materiæ reſtaurantis afluxus: iſque tanto concitatior, quanto reſolutionis cauſa fuerit vehementior. Si miſti in ſanguinea maſſa humores, ais, retinent intra longiſſimas venas plexusque temperamentum ſuum, ſimile de cambii partibus fieri poſſe. Mihi verò dubium non eſt, elementa in miſto naturam ſervare ſuam: illud obtinere volui, quemadmodum ſanguis habet alium temperamenti gradum in jecore, alium in corde, cerebri, teſtiumque plexibus, alium in venis extremarum, ita cambium ex habitu corporis, & artuum extremis reverſum intra venas, ſanguinique circa jecur aut cor iterum permiſtum, intra teſtium denique varicoſos plexus proprio ipſorum calore ſubactum, alium ſibi temperamenti gradum acquirere, quam partes, à quibus receſſit, eidem tribuerant. A cæcis parentibus ſi generetur ſoboles, quæ oculis integris prædita

dita ſit, vitium in oculis parentum non niſi nervi optici obſtructionem fuiſſe concludis. Ego cæcos novi recte videntem prolem procreaſſe, quorum oculi partim hypochymate obſeſſi fuerunt, partim, craſſefactis a præcedentibus ophthalmiis humoribus ipſis, vitium contraxerunt. Nec tamen, obſtructis nervis opticis, ſubſtantia ipſorum ſalva eſt: medullam enim obtinent, quamvis rariorem, quamque craſſius phlegma denſat & refrigerat. Hæc itaque quum nervi pars ſit, adeoque nutriatur, cambium pariter ſuum poſſidebit, atque emittet ſemen. Imo, ſpiritus animalis influxu per obſtructionem impedito, neceſſum eſt, reliquas oculi partes, & potiſſimum humores ejusdem, temperamenti deliquium incurrere. Sed pauſam hic mihi ſermonis imperant negotia, meritoque prolixitatis tædium apud Te ſubterfugere debeo; de quo veniæ gratiam me conſecutum arbitrabor, quando ſuaviſſimis literis tuis ſolicitum reficere dignabere. Vale feliciter. Pat. VII. Dec. 1638.

L X V I I I.

De eadem ſeminis origine ex Cambio. Ad Cl. Fort. Licetum Bonon.

K Alendæ Junii, quemadmodum ſolennes à publicis curis vacationes nobis attulerunt; ita delinitum privatorum ſtudiorum ſuavitate animum magis excitant, & ad amicorum cultum invitant alacrius. Inter quos cum principem te venerer, proclive mihi fuit debitum hoc gratiſſimis Tuis literis officium reddere, quibus ad ea, quæ cenſuræ Tuæ commiſeram, ingeniosè pariter atque humaniter reſpondes. Video autem omninò placere Cambium in teſtium non ſubſtantialis ſeminalibus ductibus temperamenti mutationem ſubire, ſed tantum accidentalis; fateor nec capiente nec ſuſtinente. Nam ſubſtantiale quidem temperamentum, in corporibus mixtis eſſe conſiſtentiæ quendam aut ſubſtantiæ modum habitumve ſemper concepi, non facilè ſanè mutabilem, cauſis tamen diu multumque alterantibus obnoxium. Succum autem, qui ſemen ſuppeditaturus, hujusmodi mutationem ſubire, convincit quod cauſarum diutius alterantium actionibus expoſitus ſit: ex temperato calidior, ex hoc iterum temperatior, ex craſſo tenuior, ex tenui denuo craſſior evadit. Nec ambiguum id fieri poſſe in eo, quod perfectum aliarum partium in temperamento ſubſtantiali habitum modumve non-

nondum conſecutum fuerat. Apparatum ipſum Naturæ, & operoſioris elaborationis ergaſterium vel oculis arbitrari licet. Porrectos in longum advehentium vaſorum ductus, ex diſtinctis prius unitos, ex unitis iterum in capreolos veluti pampinorum minutiſſima cura diſperſos, admotos nerveis exiguisque poris teſtium tunicis & glanduloſo corpore infarctos. Eosdem rurſum anguſtatos, induratos, varicum flexu variè contortos, itinere longo reflexos; & in capſulam veſiculis plurimis direptam denuò expanſos, & glandulis tandem veſicæ adſtantibus connexos, non alium arbitror ob finem, quam ut recepta his organis materia, non in primis tantum qualitatibus, ſed habitu univerſo mutato, exprimat, ut cum Euripide loquar

— καλὸν ποίκιλμα τέκτονος σοφοῦ,
pulchram varietatem ſapientis opificis.

Auditus infantium imbecillitatem, rectius ad nervorum & obtentæ potius tympano membranæ immodicam humiditatem retulerim; quam oſſiculorum. Hæc autem attritu imminui neutiquam, mi Licete, credideris, ſi malleolum late membranæ conjunctum obſerves; incudem item ſtapedemque, qua parte ſe contingunt, cartilaginibus ſuis &

ligamentis Naturæ providentiâ muniri: quæ ſi poſt Anatomicos publicè demonſtro quos recenſes, non obſtabit eorum ſententia meo ſenſui. De ſpiritibus nolim tam humiliter ſentias: mihi equidem animæ operantis præcipua inſtrumenta videntur, & ex perfecta elementorum contemperatione ſubſtantiæ nobiliores, ſive inſiti illi ſint, ſive ex adventitiis. Animalium utique ſpirituum interceptionem, ſalvo licet peculiari temperamento, quid conſequatur, notiſſimum eſt. Nam & motus ſenſusque diſcrimen incurrunt, & paulatim ex vegetis, calidis, ſucci plenis, debiliores, frigidæ ac macilentæ fiunt, quarum illud per ſe, hoc autem ex conſequenti contingere neceſſum eſt. Galenum in Decretis, de aëris attractione, & fuliginum expulſione per arterias, tum de motu variorum ſuccorum per eosdem canales in oppoſita, neque ducem, neque dominum Harvejum magis ſequor de motu arteriarum certioribus experimentis ſubnixum: Aſellium item, cujus dexteritate meatus Galeno incogniti primitus detecti ſunt: adeò δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Rationes ipſorum non eſt quod afferam, ne remeligo tibi objiciar in pleno curſu, atque in hoc veri ſtudio contentioſi pertinacisque notam

admit-

admittam, quam apud Te feriò deprecor, ac deteſtor. Vale feliciter.

LXIX.

De Chyli Ductibus ab inteſtinis ad hepar: deque Pancreatis meatu recens obſervato, & actione uſuve viſceris.
Cl. Fortunio Liceto, Philoſopho Eminenti.

HOc agamus, Cl. Licete, atque adſita potius, imò inſita nobis penitius perveſtigemus! Puſilla res Mundus eſt, inquit Zeno Romanus, niſi in illo quod quærat omnis mundus habeat. De homine quidni ſimile dixerim, & puſillam plane rem eſſe, niſi in eo quod quærat omnis homo reperiat. Diu priſcorum ſapientum animos diſtraxit, aſperſum cœleſti corpori τὸ γάλα, & fabuloſi Phaëtontis incendio ſignata via. Non minus in homine, vel à Dionis Coryſtii ævo, diſſectionum profeſſores anceps ſententia diduxit: quid niveum illud Pancreatis uber eſſet, quibusque viis tandem chyli alimoniam Natura diffunderet; donec hoc tandem ſeculo, felicibus Aſellii auſpiciis, clarior lux affulſit, atque in ipſo digeſtionis opere occupata Natura, tum mea-

 tus

tus oſtendit, quibus chylum diducit, tum actionem Pancreatis propriam. Nuper dum pori cholidochi finem inveſtigat Virſungus noſter, Vir induſtrius, quem exactis aliquot annis in Anatome publica mihi miniſtrantem vidiſti, incidit in meatum Pancreatis ſingularem, qui in glanduloſo illo corpore venæ ſpecie, mihi aliisque ſui inquiſitionem ante obſcurarat. Protenditur is in longitudinem Pancreatis, minutis hinc inde ſurculis diviſus. Exilitas ejus ſumma eſt, qua parte lienem Pancreas attingit; ab ea verſus duodeni inteſtini finem paulatim amplior conſpicitur, in quod juxta porum biliarium definit; valvula tamen janitrice regreſſum excrementi, quod expurgat, prohibente, bilisque affluentis ingreſſum. Figuram ipſam inventoris, quamvis à manu non adeò artifici, adjungo, quo rectius pleraque contuearis. Ut jam certo nobis conſtet, in Pancreate quandam chyli elaborationem ulteriorem ante fieri, quam is in jecur ac lienem ſuſcipiatur: viamque ineſſe propriam, per quam in coctione ſupervacanea ſalubriter excluduntur.

At circa chyliferos Aſellii meatus non paucis implicantur difficultatibus, qui animantibus opportunè diſſectis oculos non admo-

admoverunt. Neceſſarium enim arbitrantur, lacteas illas venas ex Portæ venis eſſe, dudum à Galeno accuratè deſcriptis. Deinde abſurde exiſtimant, quod principium iis commune, velut arteriis & nervis, haud aſſignamns. Tertio, monſtro ſimile, quod apparere eas in viventium omnium corporibus tradimus, atque iterum diſparere, haud ſecus atque illa apud Maronem Creuſæ Umbra,

Par levibus ventis, volucrique ſimillima
ſomno.

Non difficile tamen foret bonos Viros ambiguitatibus expedire, ſi neceſſaria huic rei Zootomia ſatisfacere ſibi paterentur. Conſtaret enim evidentiſſime, non ad jecur protinus, ſed ad pancreas prius albicantis chyli concurſum fieri, meatusque hunc deferentes à portæ venis atque arteriis optime diſtinctos eſſe. De principiis vaſorum excitatam litem non agito; certum enim mihi ut τὴν φύσιν οὐδὲν καθάπερ ἡ τέχνη ποιεῖν κατὰ μέρος; ἀλλὰ πάντα ἀθρόα καταβάλλεσθαι; συντελεῖν ἕτερα ἑτέρως: Naturam nullam rem particularem, ut ars, facere; ſed univerſa ſimul conſtituere: perficere verò alia præ aliis, ut ex Ariſtotelis tripode Ereſium oraculum perſuadet. Quod ſi tamen hypotheſin docendi cauſa

Digitized by Google

jam receptam non aſpernantur; adſevero, pancreas lacteorum ductuum principium exiſtere; circa pancreas ampliores eſſe, atque ab eo tum ad inteſtina ſubdita, tum ad imminens jecur eos diſtribui, ſurculis utrinque minutis pene diremptos. In tertio, quæ metuunt monſtra, nulla ſunt: manent enim ſemper chyliferi meatus, manebuntque; quum uſum illorum Natura neceſſarium duxerit: quamvis, ut aliàs ſcripſi, tunc evidenter in conſpectum ſe dent, quum per tenuem meatuum membranam transparet adhuc præſens nivei candoris ſuccus. Tuum eſt, Cl. Licete, latius explicare inſigne hoc rei anatomicæ peplum, & tenebras, ſi qua circumfuſas deprehendis, admota clariori face illuſtrare. De motu ſanguinis ex arteriis conjugibus in venas, adeoque recurſu ſanguinis nutritioni ſuperſtitis ad vitæ metam ſpero te ὁμόψηφον. Quæſo interim, matures quod diutius diſtuliſti ex adyto tuo reſponſum, & in amore noſtri perſeveres. Vale feliciter. Patav. X. Octobr. 1643.

LXX. *De*

Digitized by Google

L X X.

De nervorum origine primæva ex corde ſecundum Ariſtotelem.
Cl. & Excellentiſs. Viro Dn. D. Fortunio Liceto.

MItto præſentibus conjunctum Guil. Harvei de motu ſanguinis libellum, quem Clar. Tuæ promiſeram. Adjunctæ ſunt Doctiſſimi Walæi Epiſtolæ binæ, quibus perlectis rem totam veluti ſynopſi recognoſces, & ingruentium primo impetu difficultatum agmen facile diſſipabis. Summi fuerit ingenii tui, ſententiam, meo quidem judicio à Philoſophi placitis non alienam, principiis ejusdem firmam ſtabilemque nobis reddere. Quam vellem, idem liceret in iis, quæ ſcripſit de nervis? C. Hofmanni Viri Cl. conatus hic video; ſed conatus tantum. Mihi quicquam hic molienti genua labant, nec minus nequam nervorum habere me ſentio, quam quum de Ariſtotelicis nervis cogito. Noſti, quomodo νευρῶν nomine confundat partes externa forſan facie ſimiles & ſubſtantia, officio tamen ſive uſu maxime diſcrepantes. Nervos communiter à corde producit, ratione τῆς ἀρχῆς; nec tam ad facultatem hic

reſpicit, quam ad corporum, ſeu ductuum extenſionem ipſam, etiamſi fateatur, τῶν νευρῶν φύσιν non habere eandem cum venis συνέχειαν. Communiter nervos, juxta cum pilis & oſſibus, ὀδυνῶς αἰσθάνεσθαι opinatur: neque hos tamen, quemadmodum venæ, πυροῦσθαι, id eſt ignem pati poſſe; ſed corrumpi. De cerebro vix tolerabiliora tradit, quum id ad fervidi cordis ξυγκρασίαν inſtitutum refert, quam reſpirationi debet omnem. Humanitatis Tuæ fuerit, virorum optime, titubantium hic gradus dirigere, aut vincula ſaltem laxare, quibus arcte alligamur huic Caucaſo. Vale feliciter, & ut ſoles, animo ſupra caſus humanos erecto, novercantis fortunæ nomen pariter ac numen explode. Sique grave non eſt, reſponſionis viciſſitudine ante bees, quam ad Anatomica me accingere cogor. Scribo Patavii 4. Decembr. 1642.

L X X I.

De Loco Hippocratis, quod mulieres ſint viris calidiores.

Cl. atque Excellentiſſ. Viro D. Fortunio Liceto, Theoricæ Medicæ in ſuprema ſede Profeſſori celeberrimo.

Feria-

Digitized by Google

FEriamur, Cl. Vir, non otiamur; & in his ſolemnium laborum induciis reperimus, quod oculis pariter atque animo negotium exhibet. Idque vel eo frequentius, quo attentius veterum ſcriptis excolendis mentem occupamus. Verſabar ante paucos dies in lectione libri primi Hippocratis de Morbis Mulierum; eximio illo, & res ſexum ſequiorem concernentes, curioſe & eleganter perſequente. Vix ultra principii gradus oculos promoveram, cum in hæc verba inciderem: *Ut ſanguine corpus mulieris expletum fuerit, niſi ab eo aliquid decedat, carnibus repletis & concalefactis dolor oboritur. Calidiorem enim ſanguinem mulier habet; ideoque viro calidior eſt.* Fateor, humaniſſime Vir, hæſiſſe me pluſculum, quum hæc legerem; neque aliter quam, ut olim doctiſſimus à Veiga, judicare de hoc potuiſſe: ſcilicet non eſſe genuina. Repugnant enim adverſa fronte iis, quæ l. 1. de Diæta, l. de Genitura, & 6. Epidem. prudentiſſimus ſenex docuerat. Etquidem vere frigidior temperamento fœmina ſit, quæ Hippocrate ipſo ſententiam ferente, producitur è ſemine, quod ſiniſter teſticulus ſuppeditavit: quod in ſiniſtro uteri latere concipitur: quæ tardius in utero cum creſcit, tum movetur: difficilius geſta-

geſtatur, male fere affecta matre, & decolore: quæque longioribus lochiorum faſtidiis obnoxiam genitricem fecit. Addo mulierem brevioris eſſe ſtaturæ, partibusque omnibus exiliorem eſſe Viro, minores obtinere venas, habitumque corporis mollem, laxum, glabrum, albidum. Nec frigoris, nec caloris ſatis patientem, viribus debiliorem, non ambidextram, & tam in caniciem, quam morbos, ætatemque ſenectam proniorem obſervari. Quum ad animi mores reſpicimus, ægri inſtar, moroſam agnoſcimus, illiberalem, inconſtantem, timidam, vulpeculæ inſtar verſutam, ut abunde ſit cur exclames cum Marone,

—— varium & mutabile ſemper
Fœmina ——

Tueri dignitatem auctoris, & ſententiæ veritatem conatus Proſper Martianus: ſed vereor ne ſatis ſtrenue. Quamvis enim ipſi concedam, non ſanam mulierem Viro ſano comparari, ſed è ſuppreſſis menſtruis male affectam, atque ut textus loquitur Hippocraticus, ὑπὸ πληϑώρης ὑπερδεξμαινομένω, *ob plenitudinem* (à retento ſanguine) *exæſtuantem*. Minime tamen Viro Doctiſſimo dabo, exuberantem hunc ſanguinem calidiſſimum

mum eſſe, niſi ex accidente id contingat, & cum putredini propinquior eſt. Tuum fuerit, Cl. Vir, quid hic genuinum, quidve ſpurium ſit, qua cognitus orbi es, egregia ingenii perſpicacitate dignoſcere, meque cum Æſculapica poſteritate æternum Tibi devincire. Vale. Patav. 15. Junii 1648.

L X X I I.

De Viperæ Partibus. Ad Clariſſimum Virum Marcum Aurelium Severinum.

FEci lubens, Clariſſime Aureli, quæ poſtulaſti, & in partes viperæ, quantum per occupationum ſeriem licuit, adhibita diſſectione inquiſivi. Perniciosæ feræ, & veneni ſui truculentia abominandæ, niſi parem malo remediorum optimorum theſaurum poſſidens jamdudum ſe dignam præſtitiſſet, quæ ſimulacris Iſidis coronam, Regumque diademati ornamentum præbuerit; quæ in Æſculapii templo ſubterraneis cellulis enutrita fuerit; quæ calamo tuo doctiſſimo poſteritatis memoriæ conſecretur, hisque adeo Euganeis Patavini Phœbi collibus tot ſeculis feliciter hoſpi-

hoſpitata ſaluti publicæ, non damno generis humani fœcunda ſobole ſua perennet.

Cum externum ejus habitum contemplor, reliquo ſerpentum generi non diſſimilem inuenio. Quo recte Philoſophus τοῖς σαύροις παραπλήσιον lacertis proximum ſcripſit, ſi quis pedes demſerit, corporis autem longitudini adjecerit. Cum inter ipſas viperas comparationem inſtitui, Ægyptias Patavinis majores deprehendi. Nicander Aſiaticas Europæis aliis magnitudine conſpectiores tradit, quas ὀργυόεντας vocat, Orgyales. Troglodyticas extulit Nymphes, & ſeptenum denumque cubitorum refert. Mari caput magis acutum, venter adſtrictior, cauda veluti muribus in acutum attenuata, motus robuſtior: fœminæ latius caput, tum venter, quamvis non prægnantis, amplior, brevior, & quaſi præſecta cauda, reptatusque magis placidus. Color Euganeæ terreus, & ſubluteus eſt, obſcurioribus tamen per latera dorſumque maculis varius: Alexandrinis viperis arenoſus, rarius niger: Candicantes ferre Megaram ad montem Gambonium, & cornibus armatas, autor eſt Nicander; quamvis & inter Patavinas meminerim, cui argentei

tei nitoris ſquamulas nigræ, purpureæque maculæ pingebant, ſupra narium ſpiracula cornu unico, leviterque retorto aſſurgente. Cutem ſqualidam, & crebris minutisque ſquamis per latera & dorſum aſperam, tactu protinus experimur; infernè tamen læviorem, ac pro corporis amplitudine, plus minusve latis veluti corticum ſegmentis exquiſite commiſſam. Obtegitur hæc cutis poſt menſium aliquot decurſum cuticula alia, madorem corporis, vaporesque ambiente externo denſante. Pellucida tota eſt, ſquamarumque ſubditarum ordines eleganti quaſi typo repræſentat. Hanc, cum perſpiratui deinde liberiori officiat, tam verno tempore, cum è latibulis prorepunt, quam autumnali, dum ſe recondunt, inſtinctu naturæ inter lapidum vepriumue anguſtias, à capite eam paulatim invertentes, exuunt. Græci σύφαρ, vernationem Latini nuncuparunt; ſpolium elegantius, & ſenectam: quia, poſtquam hac pellicula viperæ ſpoliatæ ſunt, renovato quaſi corporis nitore ſequioris ætatis vitium poſuiſſe videntur. Eandem cum Ariſtotele ἔσχατον δέρμα extremum corium voces licet. Non ideo tamen τὰ περὶ τᾶς γενέσεως κέλυφος

primi

primi ortus velamentum: quia omnino diſtinctum quid à vera cute, & ſecundinis eſt; nec ſemel, ſed ſæpius à corpore ſerpentium abſtrahitur. Illud vere traditum γίνεσθαι ἐκδυομένῳ τὸ ἐντὸν ἐκτὸς ἐκδύεσθαι ὥσπερ τὰ ἔμβρυα ἐκ τῶν χορίων, poſitæ ſenectæ partem interiorem extra verti & exui, quemadmodum Chorii membrana à fœtu. Igitur ut Chorion non perpetuum propriumqne embryonis velamentum eſt; ſed temporaneum tantum, brevique rejiciendum: ſimilem in modum ſenecta, utpote ex accidenti potius producta, non genuina corporis è ſpermate pars exiſtit, ſed aduentitia tantum; falſoque Theodorus Gaza & contra mentem Ariſtotelis ſenectam exui ſcribit, ut cute altera intus ſubnaſcente ipſa renovetur. In homine poſt diuturnas febres ſimilem à toto corpore membranulam abſceſſiſſe, & frequentius à lingua, notum ex obſervationibus medicorum. Separatæ porro ſquamoſæ cuti membrana ſubiacet mollior, panniculum animantium pinguedini ſubſtratum exprimens. Qua remota, inferius tunica alia ſubtilior ſeſe offert, quæ peritonæi inſtar cuncta complectitur. Exterius per latera dorſum-

ſumque muſculoſa corporis moles occurrit. Huic tamen à capite ad extremum usque caudæ ſubſtructa eſt vertebrata plurimorum oſſium compages, non ſecus atque in piſcibus ordinata ſpinarum coſtas æmulantium ſerie, utrinque carinata. Vertebrarum apophyſes breviores ſunt, præcipue juxta caput, cujus propterea flexus in averſum & latera facilis viperis eſt; ſecus leonibus, lupis, hyænis, quorum vertebra, quæ propius caput excipit, latis ampliſque proceſſibus velut alis deducta, capitis collique converſionem impedit; non quod hoc ſingulis, ut arbitrabatur Plinius, rectiſque oſſibus rigeret. Eadem oſſium, & ſpirarum ſtructura efficit, ut nec collum viperis, nec pectus, niſi quadam analogia tribui poſſit Ariſtotele cenſore; adeoque ineptum pariter ſit, coſtas iisdem tribuere menſium diebus numeri paritate reſpondentes, cum ſpinarum magnitudine longitudineque differentium, vel in unico latere major longe ſeries occurrat. Incumbit his oſſibus ingens muſculorum minutorum præſidium, tum ſpinas tendinum exilium magno apparatu diducentium, tum vertebras potiſſimum in diverſa flectentium, atque erigentium. Adeoque illam corporis miram agilitatem,

Digitized by Google

tem, non tantum (ut refert Stagirita) ὅτι εὐκαμπεῖς καὶ χονδρώδεις οἱ σφόνδυλοι, quoniam faciles ad flexum, & cartilagineas produxit vertebras; ſed & quia multiplicia motus localis inſtrumenta, muſculos, fabrefecit provida rerum parens natura, conſecuta fuit. Sed in externis æquo diutius me detinuit admiratio: verto aciem ad penetrale corporis, & viſcera ipſa. Jure tamen Ariſtotelicum illud præfatus, & propter longitudinem, atque anguſtiam, qua ſe corpori aptant, tum διὰ τῶν σχημάτων ὁμοιότητα λανθάνειν, ob figurarum ſimilitudinem, cognitioni noſtræ ſubduci. Ne quid igitur adminiſtrem confusè, diſtribuam omnia diſtinctione jam recepta, in viſcera naturalia, vitalia, & animalibus functionibus deſtinata. Naturalia, vel publicæ coctioni ſtudent, vel ſobolis generationi operam conferunt. Ex illis ventriculus, jecur, lien, inteſtina, fellea cyſtis, & renes. Ventriculus, validis è membranis compoſitus, non ineptè à Philoſopho laxiori inteſtino comparatur. Collectus enim eſt, adeoque inſiti caloris robore pollens, cum non ſecus, atque aliæ ſerpentes omnivoræ viperæ ſint. Illos Ariſtoteles λιγνοτάτους τῶν ζώων, καὶ πρὸς

τὸν

τὸν οἶνον ἀκρατεῖς, animantium guloſiſſimos vinique incontinentes ſcripſit; quamvis & inediæ longe patientiſſimi, cum non per hiemem tantum, ſed æſtivos aliquot menſes in vaſis detentæ vitam absque cibo trahant. Jungitur ſuperiori ventriculi orificio gula, ductu longo à faucibus deorſum protenſa, robuſtis pariter membranis, adeoque magnæ diſtenſioni paribus producta, cum obſervatum ſit, viperas lacertas atque ova integra delutiiſſe. Vidi, quæ pollicis mei craſſitiem haud excedebat, paſſerem tamen cum pennis totum devorarat. Inferiori ventriculi orificio inteſtina continua ſunt, vix notabili tunicarum diſcrimine variata, neque immerito unicum inteſtinum Philoſopho viſa. Connectuntur non admodum arcte, gyroque brevi flexuoſa, longo ductu, rectoque deorſum porrecta finiunt. In iis, quemadmodum & in ventriculo, reperi aliquando lumbricos vivos octo, non contemnendo indicio, vitam ſerpentes non in propria tantum, ſed aliena etiam ſobole tueri poſſe. Jecur habent, ut exta corporis alia, longum, ſimplici membrana parenchyma ſuum includens. Recipit deſcendentem à corde venæ cavæ truncum, qui partim intra ſubſtantiam

Digitized by Google

ejus ſpargitur, partim per ſuperficiem inferius decurrens, tum propinquis viſceribus, cum reliquis omnibus ad extremum usque caudæ pertingentibus ſurculos impertitur. Aſſurgere autem à jecore venam ſingularem, quæ ad dentium radices, ut refert Abbatius, fel deferat, ut ibi actu vipereum venenum evadat, neque αὐτοψία confirmat, nec ratio cogit ulla. Quamvis enim contentus intra gingivarum theculas humor flavedine bilem exprimat; notum tamen eſt, tum aurium recrementa, tum diutius hærentem intra nares ac pulmones pituitam, absque particularium venarum acceſſione ſimili calore non raro imbui: ſolo item vapore bilioſo à jecore ſublato, amareſcere os, linguamque infici. Nam ſi omnino virus illud miſturam bilis per venas affundendæ requireret, nil obſtaret, quo minus per jugularium venarum ramos ſcopum hunc natura conſequeretur. Cyſtin fellis jecori ſubjectam viperæ non habent, quin digiti potius latitudine ab eo ſejunctam. Inhæret enim inteſtinis, quemadmodum avium non paucis, quibus falſo alias deeſſe creditur. Hæc ampla ſatis eſt, bilemque à jecore per meatum proprium attrahit, inteſtinoque ſibi commiſſo refundit. Plinius

pur-

Digitized by Google

purgamentum appellat peſſimi ſanguinis, virus item, ac ſerpentium venenum Mihi quidem compertum eſt, cuti animantium etiam largiter illitam bilem, noxæ nihil attuliſſe. Jecori, cyſtique fellis propinquum lienem, recte Ariſtoteles μικρὸν καὶ ϛρογγύλον ὥσπερ τῶν ϛαύρων, paruum & rotundum, qualis lacertorum, expreſſit. Parenchyma obtinet ſingulare, ſimplici membrana indutum, ſæpe colore ſanguineo, nonnunquam nigricante perfuſum, ut argumentum inde actionis propriæ non obſcurum nobis præbeat. Renes, & veſicam, veteres diſſectionum autores viperis ineſſe negant, juxta cum aliis animantibus, quæ ſquamis, corticibus, aut pennis natura circumdedit; paucam in his aqueam humiditatem, aut motu corporum difflari, aut in operimenta conſumi arbitrantes. Ineſſe tamen renes viperis nemo dubitaverit, quisquis in iis contemplabitur corpora duo magnitudine integra, deſcendenti inteſtino recto utrinque, & dorſo conjuncta. Subſtantiam obtinent ex plurium veluti glandularum congerie compactam; quæ ſimplici tenuique membrana obtegitur. Venas & arterias ſortiuntur ſatis conſpicuas, ſpeciemque prolixam; ſic tamen, ut ſuperior, inferiorque

P 3 pars

pars in acumen contrahatur. Dexter altior eſt, humilior ſiniſter, meatuque proprio ureterum æmulo, in dictum inteſtinum redundantem ſeri portionem transferunt. Pergo ad partes generationi dicatas: in quarum inveſtigatione fidem veterum ac diligentiam non parum vacillare perſpicio. Illis, pro ſexus diſcrimine, diſtinctis vipera quoque donanda fuit. Et mas quidem, ut ſemen produceret, vaſis ſpermaticis, & teſtibus, ut productum in uterum ſpargeret, muſculis tenſoribus ac pene inſtruendus erat. Fœmina, ut ſemen exciperet, conceptumque ſervaret, utero. Coëunt igitur, quemadmodum à priſcis obſervatum eſt, πριελιττόμενοι ἀλλήλοις, invicem circumvoluti, ſic ut ſerpentis bicipitis unicum corpus adhæſu mutuo repræſentent. Exigua enim parte conjungendis nimia corporum prolixitas impedimento erat futura. Marem autem quod attinet, ſcripſit Ariſtoteles in communi ὀυδ' ὄρχεις ἔχειν τοὺς ὄφεις ὀυδ' (αἰδοῖον, ὅτι ὀυδὲ σκέλη; ὄρχεις διὰ τὸ μῆκος) ἀλλὰ πόρους ὥσπερ ἰχθύες. nec teſtes habere ſerpentes, nec pudendum; ſed meatus qualiter habent piſces: non pudendum, quia cruribus carent; non teſtes, quoniam longum eorum corpus. Meatum autem

autem piſcium totum, talem eſſe refert, qualis in homine ſimilibusque animantibus, *τὸ ἕτερον μέρος τῆς ἀναδιπλώσεως*, pars altera replicationis, vaſorum ſcilicet ſpermatis, à teſtibus ad veſicam reflexorum. Nobis hic, quod in pari difficultate alibi ſuadet Philoſophus, *τὸ αἰσθήσει μᾶλλον, ἢ τῷ λόγῳ πιστευτέον*, ſenſui magis quam rationi credendum. Neque enim pudendum, vel natura, vel poſitu à cruribus dependere vero conſentaneum eſt, nec longitudo corporis, quotiscunque teſtes cum ſpermaticis vaſis intus reconditi manent, noxiam ſemini refrigerationem inferre poteſt. Id convincunt lacertæ, ſcinci, crocodili, quos ut corporis viſcerumque prolixitate, ſic partium genitalium ſitu, ſerpentium generi ſimillimos reperio. Senſum igitur ſi conſulimus, teſtes habent viperæ amplos & oblongos, ſimplicique tunica velatos, ſubſtantiæ glanduloſæ habitu, ſuccique lacteſcentis ubertate, munus ſuum abunde manifeſtantes. Collocati utrinque ſupra renes, ſic ut dexter altior plerumque ſit, humilior ſiniſter, licet Ælianus in lib. cit. teſticulos ad caudam angues habere

habere tradiderit; quod & Abbatio placuit. Deſcendunt ab iis ſupra renes vaſa ſpermatica, albicantia colore, flexu variciformia, quæque circa penis latus internum paulatim dilatantur, ubi excipere ea conſpicimus glandulas duas oblongas, albas, capſularum inſtar ſeminalium ſperma in pudendi fiſtulas transmittentes. Penis in viperis geminus eſt, ſtructuraque plane mirabilis. Originem ſumit ab extremo caudæ principio exili, quod paulatim carnoſius, amplius, & rotundum, non ſecus atque quadrupedibus muſculi penis tenſores, deſinit in porum, meatumue nervoſum, quo valide compreſſo eliditur corpus aſpectu ſpongioſum, diſtractum in lobos, minutisque veluti ſpinulis obſitum, idque in naſcentibus viperillis laxius teſtium ſpecie nonnihil protuberat. Quo in vaginam uteri admiſſo, credere par eſt fœminam inter illecebras Venereis aculeis pudendi acrius irritatam, non lethali, ſed clementi morſu, caput maris ſæpius petere: idque fabulæ parricidii viperini occaſionem dediſſe. Fœminæ viperæ natura mammas negaſſe videtur, cum neque illarum veſtigia ſub ſquamoſo cutis contextu ſe proferant, nec fœtus matrem lactei alimenti deſi-

ti deſiderio ſectetur. Conſiderabilis in ea uterus, quo, cum vivam excludat prolem, nomen apud Latinos nacta fuit. Illum *μακρὸν καὶ δίκροον*, longum bifidumque, recte Philoſophus pronunciat; quum pudendo virili gemina vagina aptari debuerit. Componitur è membranis robuſtis, leniterque circa ſuperiora contortus expanditur in tenues & membranoſos loculos, intra quos rapto maris ſemine, ſpermaticoque fœminæ excremento largiter affuſo, concipitur id, quod ovi ſpeciem in viperis exhibet; atque in eo embryo ipſe vermiculo per initia perpuſillo compar. Ovum id optime Ariſtoteles *μονόχροον καὶ μαλακόδερμον*, unicolor mollique cortice præditum, dixit. Ingenitum ipſi eſt, quod oviparis aliis ſuppetit, lacteum alimentum. Hoc vero nomine circumfluum ſpermati nobiliori ſeminalem uteri humorem accipimus, quo fovetur, reficitur, conſervaturque fœtus, donec ad incrementum corpuſculi ſanguinem maternum per umbilici venulas attraxerit. Prodit in lucem perfectus jam fœtus, nunc explicitus ſecundinis, nunc plus minusve impeditus, prout virium robur nactus fuerit. Arrodere eum mem-

 branas,

branas, aut lateribus genitricis perforatis erumpere, ſi fidelis unquam obſervatio detexit, contra naturæ legem accidit. Ventrem denique fœminæ lacteſcentis pinguedinis ingens copia farcit, haud dubiè frigidioris uteri conceptæque ſobolis fomentum eximium. Præſtantioris ordinis partes ſunt, quæ vitæ præſidia conſervant, cor nimirum, & pulmo. Cor viperæ pericardio ſuo, id eſt præmolli, firmæque membranæ involucro totum opertum eſt: quo recluſo, venit in conſpectum parenchyma ipſum, tenui ſub tunica purpuraſcens, exiguum mole, & oblongum, Philoſophus νεφροειδὲς renibus ſimile prodidit, ideoque conſpici minus, interdum ad pectus mucronem dirigere. Hoc, ut Plinii verbis utar, gemino ſinuoſoque ſpecu prima domicilia ſanguini præbet. Diſcurrunt ex eo veluti fonte, vena atque arteria magna, tum in inferiora, ut ſuperius innui, tum ſuperiora, duplici ramorum ſerie, ad maxillas & cerebrum aſcendentes, ut membris omnibus vitalem ſanguinem irrigent. Solum in grandiore animali diuturnis vitiis non maceratur, nec ſupplicia vitæ trahit; in viperis tamen læſum exemtumque mortem illico non affert.

Pulmo

Pulmo, ſpirandi officina, longitudine inſignis eſt, propriis à corde tam venis, quam arteriis reſperſus. Molliſſimus totus, ac ſpumoſus, atque idcirco aëris hauſtu copioſo facile replendus: unde recte Ariſtoteles hoc genus animantium ἄδιψον καὶ ὀλιγόποτον, καὶ πολλὺν ἐν τῷ ὑγρῷ ἀνέχεσθαι χρόνον, parum ſiticns, parumque bibens, & ſi mergantur diu aquam tolerare ſcribit. Delabitur in pulmones duplici diſtracta ramo aſpera arteria, tantæ hic longitudinis, ut non tantum ultra gulam aſſurgat, ſed etiam linguæ parti poſteriori late incumbat, quamvis hoc Philoſophus contingere exiſtimarit διὰ τὸ συσπάσθαι τὴν γλῶτταν, καὶ μὴ μένειν ὥσπερ τοῖς ἄλλοις, quoniam contrahatur lingua, neque ut aliis (in ſitu) maneat. Principium ejus in faucibus ſtrangulatæ viperæ conſpicuum, tanquam muſculis ſingularibus præditum, adſtringi, rurſumque dilatari obſervatur. Linguam tenuem &, ſi extrahatur, prælongam adeptæ ſunt, initio progreſſuque carnoſam, nerveam in fine. Dirimitur in flagella quaſi trina, colore atro perfuſa, quorum utrumque capillamenti ſubtilitate gracileſcens vario flexu vibrat. Fulcitur oſſe proprio

pri cartilagini potius ſimili, quod bifidum circa linguam, deinceps longo ſimplicique ductu ſuper aſperam arteriam deorſum protenditur. Animalium tandem functionum ſedem, quis viperis in tanto ſenſuum motusque localis vigore neget? Cerebrum habent cranii firmo propugnaculo tutum, & duabus ſupra ſubterque meningibus velatum. Paruumque quidem, ſi molem ſpectes, duobus tamen ſejunctum proceſſibus, continuandæ dorſi medullæ abunde ſufficiens. Diffundit tam per cranii baſin, quam foramina vertebrarum, minutorum nervulorum ſeriem inſignem, ſpiritum animalem, in ſenſuum ac motus organa diſtribuentium. Oculi laterali orbitæ incluſi palpebra ſuperiore immobili teguntur, inferiore mobili, qua crebrius connivente, fera ipſa dormitabundæ ſimilis non raro conſpicitur. At in receſſu ampli ſunt oculi, humorumque & tunicarum operoſa compoſitione vel maximis pares. Quo manifeſtior eorum error, qui erutos juxta cum amputatis caudis renaſci exiſtimarunt. Ariſtoteles rem ex aliorum ſententia narrat, non ſua, ἔαν τις ἐκκεντήσῃ τῶν ὀφέων ὄμματα φασὶ φύεσθαι πάλιν, ſerpentium

pentium oculos ſi quis expunxerit, aiunt renaſci denuo. Hebetes tamen eſſe pluribus perſuaſum eſt; quamvis dubitem an à natura vitium ſit, cum in exuviis luculenter appareat, eas non minus reliquo corpori, quam oculis obduci, non levi tunc viſionis impedimento. Nares, biforem odorum viam, exterius duobus meatibus oſtendunt, qui diducuntur in cavernas oſſeas amplas ſepimento diſtinctas, odorem halitus ſpecie ad cerebri proceſſus anteriores deferentes. Mirum magis, quonam modo tam exactè viperæ audiant, cum veſtigia ipſis aurium obſcuriſſima ſint. Poros tantum eas habere auditusque cavernas, traditum a veteribus, forſan conjectura magis quam ſenſu perſuaſis: alii communem odori ſonoque viam, ut in piſcibus aſſignant; ſed quæ tenuiore ductu in ſpecus cranii auditui proprios vocalem undam pervehat. Subjacet cranio maxilla duplex oſſium longa productione rictum conſtituens. Harum ſuperior, cum morſu ferè ſævit, collo terræ per vim applicito mobilis apparet, quemadmodum in crocodilo ob longitudinem rictus pedumque contra bevitatem piſcis videbatur, re tamen vera tam in vipera quam in crocodilo immobi-

mobilem eam eſſe, cranioque firmis oſſium harmoniis conjunctam, exploratiſſimum habeo. Dentibus armantur minutis quamplurimis, pectinatim coëuntibus, ne contrario occurſu facile atterantur, laxis utrinque gingivis inductæ. Accumbunt maxillæ ſuperiori dextra lævaque dentes duo acutiſſimi, falcium inſtar verſus interiora faucium recurvati. Longior anterior, poſterior minor, ac brevior; ambo fragiles, adeoque acrius iraſcenti mari nonnunquam unus alterue excuti ſolet: quod in errorem duxit Nicandrum, vetuſtiſſimum ſcriptorem, dum fœminæ quatuor, binos mari dentes aſſignat. Quatuor autem & mari, & fœminæ tribuendos eſſe, tum alveolorum numerus, tum plurium viperarum inſpectio ſatis poſteros docuit. Reconduntur intra laxas veluti vaginas, felleo liquore plenas: è quibus ad libitum feræ celerrime exſeruntur. Fundamentum loculosve ſuos habent, non in ipſa maxilla ſuperiore, ſed in oſſe oblongo, & robuſto, lateri externo maxillæ dictæ firmiter adhærenti. Has lethale diſcrimen, & perniciem afferre demorſis, tenuique fiſtula, veluti ſcorpionum aculei perforatos infundere venenum, tam experientiæ cenſura, quam autorum diligen-

ligentisſimorum ſcriptis ſerio confirmatum eſt. Habes, Vir Clarisſime, quæ celoci, ut dicitur, filo de partium viperæ ſtructura pertexere potui. Quæ ſi omnino purpuræ tuæ conjungere placitum eſt, penes amorem tamen in me potius, quam penes judicium, facti tui rationem ſtetiſſe, facile poſteritas agnoſcet. Vale feliciter. V. Novembris CIↃ IↃC XLIV.

LXXIII.

De Viperæ generatione. Ad Clariſſimum Marcum Aurelium Severinum.

ENimuero non parum tui cauſa ſolicitus fui, Cl. Aureli, cum de ſuborto populi Neapolitani tumultu fama hîc certior diffunderetur. Jam enim animo obverſabantur, quæ moliri ſolet illa πολυκέφαλος ὕδρα, cum domitorem Herculem non habet, cum in florem fæx conſurgit,

—*ſævitque animis ignobile vulgus.*

Nos ſoſpitatori Deo gratias perſoluimus, quod Te pariter ac Muſas tuas ſaluas in his incolumesque bono publico conſervarit. Ad viperi-

viperini partus inquiſitionem quid eſt quod toties gravioribus occupatum ſtudiis impellis, cum in exhibita nuper viperæ anatome, tàm de illius utero, quam fœtu ſatis expresſiſſe mihi videar, quæ fundamentis tuis inſternere poteras? Dabo tamen hoc affectui, & quæ paucioribus aliàs perſtrinxeram, pluribus nunc exponere conabor, utcunque non ea hîc opportunitate uſus ſim, quâ olim conſularis ille apud Plinium: qui conſtructis ex cornu translucido alueis apum fœturam ſpeculabatur, aut Cl Jo. Rhodii noſtri curioſitatem aſſequutus fuerim, ſcorpii partum numeroſamque ſobolem in carcere vitreo contemplantis. Igitur ut inde iterum ordiar, uterum viperæ à conceptis ovis tumentem, non ut in animantibus vivos fœtus parientibus craſſum, ſed tenuem valde, & pro conceptuum numero membranoſos in loculos diſtentum obſervamus. Porriguntur ad eum à deſcendente vena cava arteriaque magna per vinculum membranoſum, quod oſſibus dorſi vertebratis uterum nectit, vaſcula plurima, pro fœtus magnitudine plus minusve diducta, quibus alimentum utero pariter ac fœtui ſubminiſtrandum eſt. Ova ipſa, ſeu potius τὰ ὠοειδῆ, oviformia illa, quæ utero

vipera

vipera fert, numero quidem varia, ſæpè tamen vicena, aliàs plura videntur. Figura ſunt rotunda; ſed oblonga & utrinque æqualiter propemodum acuminata; conjuncta inter ſe, atque in longitudinem uteri porrecta, ut reptantis genitricis motui nullum obſtaculum præbere queant. Ariſtoteles excluſa à ſerpentibus aliis ſic connexa eſſe ſcribit Lib. 4. Hiſt. cap. ult. ut ὑποδεξίδας γυναικῶν, mulierum monilia, referant. Componuntur è membrana valida; ſed quæ ab initio conceptus ad partum usque mollis eſt. Simplex item ſenſui occurrit primum: in progreſſu tamen chorio fœtus commiſſa deprehenditur. Hanc, cùm nondum in membra diſtinctum eſt embryum, repletam materia copioſa, lenta, atque albicante, non tamen pellucida ſive clara, ut in pennatorum ovis,

Candida quæ croceos circumfluit unda vitellos,

ſed vitellis recenter productis, antequam luteum colorem imbibunt, habitu ſimillima conſpicimus. Hæc vero nihil aliud eſt, quam obvius in utero viperæ ſeminalis humor, quem primo fœtuli ſyſtemati largiter natura circumfundit, ut id foveat, conſervet, refi-

Digitized by Google

ciat. Eam in oviparis aliis ὕλην σπερματικὴν, ſeminalem materiam, appellat Philoſophus. Ex qua in fœcundum ovum cum membranis, corticibusque producit. Lib. 3. gen. c. 1. In Plantis τὸ πρῶτον γαλακτῶδες vocat Lib. 2. gen. cap. 4. primum luteum, idque bulboſis adeò copiosè ſubminiſtratur, ut non tantum conceptum novellum vegetet, ſed extra terram quoque ſuſpenſum ad germinandum compellat, atque augeat, ut allii, ſcillæ, ſimiliumque exemplis docemur. In his ovis quod per initia oculis obvium eſt, primumque ex mare fœminaque miſtum dici poteſt, exiguum eſt, rotundumque corpuſculum, vere ἀδιάρθρωτον, partibus ſenſu noſtro diſtinguendis nullis præditum. Id verò temporis progreſſu vermiculum in ſpiras convolutum exprimit candidum, pellucidumque totum, tum vaſorum umbilicalium tenuiſſima veluti filamenta exhibet, tum corculi micantis circa venæ arteriæque magnæ exortum veſtigia evidentiſſima. Eo paulò magis adaucto, & ſeminali matris excremento ſenſim diminuto, ſi ſtrangulata genitrice, nondum vero mortua, diſſectio fiat, evidentiora ſunt omnia. Nam gemina ſub extima ovi membrana

braua conſpiciuntur involucra, quorum alterum craſſius eſt, atque ovi membranæ proximum, chorio ſecundinarum ſimilatur; alterum tenue valdè, fœtuique propius circumdatum, quod meritò amnium appellaris. Conſurgunt circa genitalia ad chorion extimamque membranam umbilicalia vaſa, ramis ſurculisque plurimis diſtributa, lateque diffuſa, quæque nullo hic carnoſo cotyledone, nullâ placentulâ natura fulcire videtur, neċ velamentum addere ſingulare, quod κέλυφος δερματικὸν Ariſtoteli Lib. 2. gener. cap. 4. utpote quæ ſatis horum ſecuritati proſpexit, dum quaquaverſum ambientibus membranis ea connectit: idque in oviparum quoque pullis conſpicitur. Cæterum explicato fœtulo caput apparet amplum, turgidulis oculorum ſphæris, nec palpebris ſuis penitus opertis. Circa dorſum & latera ſquamularum rudimenta adſunt, & in maſcula prole ſubter umbilicales venas globuli duo, qui teſtes aliis, mihi penis bifidi extrema videntur ſpongioſa, nondum intra corpus adducta. Jam aperta ſecundum longitudinem adhuc vivente beſtiola, cor obvium eſt, eximiè conformatum, ac concinno ſyſtoles, diaſtolesque motu diu citatum. Sub eo jecur ex

candido flaveſcens deorſum porrigitur, & vireſcente bile turgida veſicula proximis inteſtinis annexa eſt. Reliqua denique viſcera naturalem habitum diſtinctis περιγραφίαις ſeu lineamentis oſtendunt. De perfecti jam viperini catuli partu quæ nobiles è veteribus ſcriptores tradidere, nota ſunt. Nimirum erodere ſobolem genitricis alvum, ſive Plinii verbis, tarditatis impatientia perrumpere latera, occiſa matre: quam ob rem cum parricidis culeo inſuta vipera priſco ritu necabatur. Secus tamen Apollonio apud Philoſtratum viſum eſt, Maximoque Tyrio, Theophraſto apud Aelianum Lib. 15. cap. 16. de anim. qui ſupereſſe partui ſuo viperam obſervarunt, eamque fœtum editum lambendo polire. Mihi ſanè, quemadmodum apertè fabuloſum eſt, marem in coitu caput ori viperæ inſerere, itemque voluptatis dulcedine id abrodere, vel ut alii loquuntur διακόπτειν, abſcindere: ita paternæ necis τιμωρία ſeu vindicta illa, quam Ælianus Lib 1. cap. 24. innuit, ſuſpecta ſemper viſa fuit. Ariſtotelem ſequor libenter, qui cap. ult. hiſt. viperam fœtus vivos edere, vel in membranis, quæ tertio tamen die rumpuntur, vel ſine membranis explicitos, quum interdum ipſi in ute-

utero illas corrodant. Vidi apud Pompeium Sprechium, Venetum, materiæ medicæ curioſiſſimum virum, incluſam vitreo vaſi viperam, quæ plures catulos pepererat, alios tenui membrana, tanquam amnio velatos, alios vero denudatos, qui tamen omnes juncta umbilicalibus vaſis involucra veluti ſecundinas ſuas protraxerant. Vale, & cum Dehnio noſtro Muſarum corculo plurimum ſalve. Scrip. Patav. 17. Sept. 1647.

Index Obſervationum & Epiſtolarum Jo. Veſlingii.

1. *Obſervationes Philoſophicæ & Medicæ de pullorum in Ægypto excluſione.* pag. 1.
2. *Ovi ſecundum horas accuratior inſpectio* p. 20.
3. *Contra Cremoninum de ſemine fœminino.* p. 32.
4. *Ex Anatome Viperæ.* p. 36.
5. *Ex Anatome Crocodili.* p. 39
6. *Ex Anatome Hyænæ.* p. 44.
7. *De infante vivo, die poſt matris obitum ſecundo, ex utero prodeunte.* p. 48.
8. Ἀξιομνημόνευτα *Anatomica.* p. 54.
9. *De Trifida lingua ſerpentum.* p. 70.
10. *De Renum laxitate.* p. 72.

11. *Conſilium ad vitioſam mictionem & gonorrhœam.* p. 72.
12. *Conſultatio chirurgica.* p. 79.
13. *De Magati vulnerum deligatione, ejusque apud Ægyptos exemplo.* p. 82.
14. *De Vitæ Longitudine.* p. 86.
15. *Galenum de tendinum vulnere parum ſibi conſtare.* p. 89.
16. *Ad Conſultationem de Cancro.* p. 91.
17. *Lactei meſenterii ductus ex qua parte diffundantur?* p. 95.
18. *De Cordis ortu, conformatione, &c. De Pulmonum officio* p. 96.
19. *Dubia contra Circulationem ſanguinis ex fœtu.* p. 98.
20. *An Venæ lacteæ Aſellii ſint à ramis Venæ Portæ.* p. 100.
21. *De loco Galeni de Venis lacteis.* p. 102.
22. *De Sacchari qualitate & natura.* p. 104.
23. *De Hepatis obſtructione Conſilium* p. 108.
24. *De Coſto, Calamo, Opobalſamo, Acacia, Terra Lemnia.* p. 110.
25. *De femoris ſubluxatione.* p. 114.
26. *De Saccharo veterum et noſtro.* p. 117.
27. *De chyli diſtributione.* p. 120.
28. *De Coloſtro.* p. 122.
29. *Conſultatio de mictus ſymptomatibus & Podagra* p. 129.

30. *De*

30. *De Venæ Salvatellæ ſectione pro Spigelio.* p. 132.
31. *De Paradoxo Harvejano.* p. 135.
32. *De Suffocatione Uterina.* p. 136.
33. *De eadem.* p. 141.
34. *De innato Lumine.* p. 144.
35. *Conſilium in Dyſuria.* p. 145.
36. *De Parte in Pleuritide affecta.* p. 148.
37. *Reſponſio in Contuſione Capitis.* p. 149.
38. *Reſponſio de Pene flaccido.* p. 150.
39. *De Taxo & Mumia Ægyptiaca.* p. 151.
40. *Conſilium de pupillæ ampliatione.* p. 153.
41. *De Taxo.* p. 154.
42. *De Cacao.* p. 154.
43. *De Ductibus Chyliferis.* p. 155.
44. *De monſtri* ἀνεγκεφάλου *motu in utero.* p. 156.
45. *De Obſtetricis officio.* p. 159.
46. *De tumore iu genu conſilium.* p. 163.
47. *De magno calcul. proventu.* p. 163.
48. *De pure viſcerum.* p. 165.
49. *De Anatomicis.* p. 167.
50. *De Obſtetricum erroribus.* p. 168.
51. *De Statu oculorum Baronis Degenfeldii.* p. 170.
52. *An mola uteri queat eſſe tumor ejus?* p. 173.
53. *De promotione publica Gymnaſii Patavini.* p. 175.
54. *De Lapide Lucifero.* p. 178.

55. *De*

Digitized by Google

55. *De Caova.* p. 179.
56. *De Chalybe.* p. 182.
57. *De Ductu Pancreatis.* p. 183.
58. *De Lienis actione.* p. 186.
59. *De ſucco Pancreatico.* p. 188.
60. *Dubia de uſu ductus Pancreatici.* p. 189.
61. *De eodem Pancreatis uſu.* p. 190.
62. *Dubium de fermento coctionis ubi reſideat.* p. 195.
63. *De Opobalſamo.* p. 196.
64. *De eodem* p. 199.
65. *De Opobalſami odore.* p. 200.
66. *De ſeminis ex Cambio generatione.* p. 203.
67. *De eadem ſeminis generatione.* p. 205.
68. *De eadem ſeminis ex Cambio origine.* p. 209.
69. *De Chyli Ductibus ab inteſtinis ad hepar; deque Pancreatis meatu recens obſervato, & actione uſuve viſceris.* p. 213.
70. *De nervorum origine primæva ex corde ſecundum Ariſtotelem.* p. 214.
71. *De loco Hippocratis, quod mulieres ſint viris calidiores.* p. 215.
72. *De Viperæ partibus.* p. 221.
73. *De Viperæ generatione.* p. 239.

FINIS.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google